Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christoph Becmann Johann Heinrich Palm

Dissertatio De Bellis Domini,

Coburg: Francofurti: Pfotenhauer, 1696

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742474232

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Diss. theol.
Landes-Bibliothek
Rostock i. M.

I. N. D. E. D. N. J. C.

DISSERTATIO
DE

BELLIS DOMINI,

CONSENSU
MAXIME REVERENDÆ
FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN UNIVERSITATE FRANCOFURT.
EXHIBITA
PRÆSIDE

JO. CHRISTOPH. BECMANO,

SS. THEOLOG. DOCT. & PROFES.
PUBLIC. ORDIN.
à
RESPONDENTE

JOHANNE HENRICO PALM,

Potstamiensi Marchico,
IN AUDITORIO JURIDICO,
AD D. XX. AUG. ANNO MDC XCVI.

Diss. theol
Palm

FRANCOFURTI
Impensis PAUL GüNT. Pfotenhauers / Bibliop. Coburg.

DISSERT. IX.

LB Theol 4004 Caps.5 Palm VIII. 1114. 12.

DISSERTATIO DE BELLIS DOMINI.

CAPUT. I. De BELLIS HUJUS NOMINIS CORPORALIBUS.

I. *Præliminaria* de Natura Belli.
II. *Quænam* Bella Domini *dicenda?* Grotii, Augustini *ea de re sententia.*
III. Loca Sacra, *in quibus hoc loquendi genus occurrit, eorumque evolutio.*
IV. *Quis* Liber Bellorum Domini?
V. *Bella* adversus septem Populos *specialiter* Bella Domini dicta. Cur subinde sex, decem, undecim *ejusmodi Populi recenseantur?*
VI. *Summa* Jurium Belli *in eos: Cur Bella Domini dicta? Quando nomen Bellorum Domini defierit?*
VII. *Causa excisionis eorum:* An ab Absoluto Dei jure in homines?
VIII. *An ob* gravissima eorum scelera?
IX. *An ex* injusto titulo possessionis, *& quidem* ob Semi posteros ex Canaanitide pulsos?
X. *An ob* Sedem ibi à Patriarchis olim fixam?
XI. *Verosimillimam rationem videri ex* qualitate Canaanis, ejusque in Servilem statum *conjectione pendere.*
XII. *Cur in alios populos æque enormium delictorum reos idem non licuerit?*
XIII. *Cur non* in Ægyptios, *licet Idololatriæ autores?*
XIV. *An rigor ille Bellicus perpetuus & sine limitatione fuerit?*
XV. *Bellorum Domini Nomen ad omnia* Bella Patriarcharum in Canaanitide, & postea durante Theocratia Israelitarum *ibidem gesta extensum.* Exempla Juris Bellici à Deo jure Majestatis humA 2 ma-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742474232/phys_0003
DFG

manæ exerciti: Consideratio Divisionis Prædæ Midianiticæ.

XVI. *An Bella* Babyloniorum *adversus Israelitas Bella Domini fuerint? Eadem respectu Babyloniorum injusta fuisse.*

XVII. *Cur* Nebucadnezar Servus *Dei dictus?*

XVIII. *An* Expeditiones Cruciatæ *Christianorum* pro recuperanda Terra Sancta *Bella Dei dicenda? An jure nisæ? Hodiernorum Religiosorum apud Pontificios ea de re opinio?*

XIX. *An Bella contra infideles* propagandæ Religionis Christianæ *causa gesta licita sint?*

XX. *Bella Christianorum* contra Turcas *vera Bella Sacra esse? Examen famosæ sententiæ superiorum temporum*: Præstare Viennam Austriacam perdi, quam Budam recuperari. *Aliusve æque perniciosæ*; Satius esse Regna perdi, quam Hæreticos in iis tolerari.

XXI. *Consideratio* Caravanarum Melitensium.

XXII. *Turcarum opinio de jure debellandi Christianos: Faquiriorum Indiæ cœcus impetus: Sennacheribi jactantia.*

XXIII. *Bellum* Sacrum *Phocense.*

I.

PRæmittimus Belli nomine intelligi *Certationem per vim*, ut Cicero vocat, h. Statum sibi mutuo repugnantium, & quidem vel violentia externa, quæ communior est acceptio, & *Bellis* nostris *terrenis* tribui solet, vel viribus animi, qui in Luctamentium consistit, *Bellumq; intellectuale* à nobis dicetur; Quomodo & Cicero *Offic. I. XI.* duo esse decertandi genera dicit, *alterum per disceptationem, alterum per vim*, illudve proprium esse hominis, hoc belluarum autumat: *Demonstrationem ejus deinde ex Necessitate pendere*, ut quoniam Juri nostro agnoscendo alter repugnat, eum vi ad id adducamus: Quod Cicero *l. i.* effert, confugiendum esse ad vim, si uti non licet superiore; Recentiores, Bella incipere, ubi Justitia deficit, h. si ratiocinia non amplius audiantur; Indeque & *Effecta Juris Bellici manare*, Hostem nimirum quovis modo lædendi, eundem interficiendi, res hostiles rapiendi: *Solum Principem præterea habere Jus bellandi*, quia solus necessitatem causari potest; Non Pri-

va-

vatos, quia necessitatibus eorum per Judicem Superiorem consuli potest. Denique & *Causas Bellorum* alias *Svasorias* esse, quæ intus movent, alias *Justificas*, quæ palam proferuntur. Quæ paucis hic indicanda fuerunt, cum terminis hisce passim nobis opus futurum sit: Cætera remittentur ad Scriptores Juris Bellici *Ayalam*, *Albericum Gentilem*, *Grotium* inprimis *de J. B. & P. Puffendorffium de J. N. & G.* &c.

II.

At *Bella Domini*, quæ hic vocamus, illa erunt, quæ *speciali Dei Autoritate aut Ductu vel pro causa Dei gesta leguntur.* Priorem sensum sibi vendicant illa, qvæ in V. T. passim eo nomine veniunt: Posteriorem, quæ à S. Paulo *Eph. VI.* & à Johanne Apostolo *Apoc. XII. & XIX.* ad imaginem Bellorum Corporalium describuntur. Quale & Paulinum illud certamen 2. *Timoth. IV.* Certamina item Martyrum, Controversiæ, Luctæ adversus mundum, carnem &c. *Grotius* quidem 1. *Sam. XXV. 28.* *Dei prælia* dici autumat, tanquam *pia & justa*; Sed verba *Bella Dei*, h. jussu ejus inita fuerunt, quæ tunc gerebantur, quia in Philistæos suscepta, adeoque pia & justa quidem, sed ideo, quia divinitus jussa, non ob causam aliquam humanam, alias infinitus numerus Bellorum DEI omniaque Bella justa *Bella DEI* futura essent: Quod si sano sensu admitti potest, loquendi tamen modis in S. Scriptura non convenit. *Augustinus* quædam ob magnitudinem quoque Bella DEI dicta autumat, quale illud Num. XXI. *Forte ut fines illic inter duas gentes constituerentur, Bello actum est, quod Bellum ejusdem loci homines propter magnitudinem Bellum Domini esse dixerunt, ut scriberent in aliquo eorum libro, Bellum Domini Moab inflammavit: quod vel arserit eodem bello ista civitas, aut ad pugnandum inflammata sit, hoc est excitata. Qq. in Numer. Libr. IV. c. 42.* Sed & horum ingens numerus futurus esset, nec legimus Asæ Regis Bellum adversus Zaram Æthiopem 2. *Chron. XIV.* breve quidem attamen mole & eventu maximum, Bellum Domini vocati. His addimus ex Scriptoribus Rerum Hebraicarum, Bella ab Hebræis distingvi in *Bella Præcepti & Ultronea*; Hæc in arbitrio Regum ac Populi Israelitici posita; Illa mandato Domini singulari nisa fuisse ajunt, fueruntque proinde omnia illa, quæ hic *Bella Domini* appellamus. Vid. *Seldenum de J. N. & G. L. VI. c. 12. Cunæum de Rep. Hebr. L. II. c. 19. Commentatores in Grotium c. II. §. 2.*

III.

Loquendi genus occurrit. *1. Sam. XVIII. 17. Præliare Bella Domini*; Et *1. Sam. XXV. 28. Prælia Domini Domine mi Tu præliaris*, ubi utroque in loco legitur, *Milchamoth Jehovah*, & in Versione LXX. Interpretum, πολέμ τὰς πολέμας κυρίε: Et πόλεμον κυρίε ὁ κυριός μα πολεμήσ, quæ liquida sunt: Nec aliter ferme se habet *1. Sam. XVII. 47. Domini est Bellum*, τ κυρίε ὁ πόλεμ, ubi in Hebr. tamen est *Lajhovah Hammilchamah*, reddique posset vel *Domino*, subaudi Sacrum, *est Bellum*, vel *à Domino est Bellum*, vel etiam *pro Domino est Bellum*: ut Exod. XIV. 14. *Dominus pugnabit lachæm, pro vobis*; præfixo Lamed loco τ *à* vel *pro* posito, vid. Mercer. *Instit. Hebr. lib. 1. fol. 46.* Sed sensu eodem recedente; Bellum enim quod DEI jussu geritur, ab eodem est, adeoque vere est Bellum Domini, *Deo nimirum imperante, quem adesse Bellantibus credunt*, ut *Tacitus* in causa non dissimili loquitur *Mor. Germ. c. VII.* eaque de causa & DEO Sacrum & in gloriam ejus directum eoque & pro DEO susceptum dici potest. Similis locus est *1. Chron. V. 22.* quem Vulgatus Interpres iterum reddit: *Fuit enim Bellum Dei.* Sed in Hebr. est: *Ci mehaelohim Hammilchamah*, quod proinde LXX. recte reddiderunt, ὅτι παρὰ τ Θεῦ ὁ πόλεμ, h. non Bellum Domini, sed ut circumloquitur Pellicanus, *quia Dominus illos adjuverat invocatus.* Posset tamen etiam *Bellum Domini* vocari, quia duarum tribuum cum dimidia adversus Hagarenos fuit. æquiparandum Bellis cum Sione & Ogo priscis illarum terrarum Regibus, quæ partem veterum Bellorum Domini constituisse, dubium vix habet. Denique legimus Exod. XVII. 16. *Manus solij Domini & Bellum Domini erit contra Amalek à generatione in generationem*, à quo LXX. verbis quidem recedunt, sed sensu ferme eodem manente, ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύρι ὅπι ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεὰς, *quoniam in manu occulta pugnat Dominus contra Amalek à generationibus in generationes.* Licet enim manu occulta pugnet Deus, vere tamen pugnat, adeoque Bellum tale verum Bellum Domini fuit; Nec Hebraica repugnant *Milchamah lajhovah baalmalek middor dor*, quod ad verbum erit, *Bellum Domino erit contra Amaleck* h. Bellum geret *à generatione in generationem.* Ubi annotant, verba præcedentia formulam vel ritum quendam jurandi continere hoc sensu: *quia manus (meæ Mosis aut DEI) super thronum Domini, Bellum Domino adversus Amaleck*

erit

erit perpetuum, ad similitudinem Regis extendentis manum ad jurandum super Solium Regni sui. Vid. *Amama Cens. Vulgat. Vers. ad h. l. Mariana, Schol. in eundem.* Junius & Tremellius planius adhuc verterunt, censente eodem Amama, *quia manus Hamaleki fuit contra solium Jah, Bellum Jehovæ in Hamalekum erit de ætate in ætatem, h. quia tam impie protervè se gessit Hamalek, tanquam solium DEI subruiturus cum populo ejus violentia sua, & quamvis non provocatus non potuit conquiescere, quin populum persequeretur indignissime & aciem extremam infestaret ejus, & quidem eo tempore quo populus ad spectandam DEI gloriam erat convocatus: idcirco bellum ἄσπονδον huic genti denunciat DEUS & populo suo inimicitias æternas imperat.* Add. *Piscator. not. in h. l.* Lutherus reddidit: Es ist ein Mahlzeichen bey dem Stuhl des HERRN/ daß der HERR streiten wird wider Amalek von Kind zu Kindes-Kind. H. interprete Calovio, *Hoc peccatum Amalekitarum consignatum est quasi in Solio DEI, ut semper illi sit in conspectu:* Incertum quo fundamento: Ipsemet Lutherus utique in Latina Versione Pentateuchi interpretationem hanc non retinuit, sed vertit: *Bellum erit Domino contra Amalek per manum sub protectione DEI à generatione in generationem.*

IV.

Præterea mentio fit *Libri Bellorum Domini*, Num. XXI. 14. *Dicitur in Libro Bellorum Domini: Sicuti fecit in Mari rubro, &c.* Quem sensum etiam Interpretes Orientales & Occidentales passim agnoscunt. Sola Græca *Libri* quidem in genere mentionem admittit, sed non *Libri Bellorum Domini* h. m. λέγεται ἐν βίβλῳ, πόλεμος τοῦ κυρίου τὴν Ζοὼβ ἐφλόγισε, *dicitur in libro, Bellum Domini Zoob combussit*, quam sicuti alias ut plurimum secutus Augustinus ita disserit *Quæst. in Num. Libr. IV. c. 42. Dicitur in Libro, Bellum Domini Moab inflammavit & torrentes Arnon, & tollentes constituit inhabitare: Etsi in quo Libro hoc scriptum sit, non commemoravit, neque ullus est in his quos Divinæ Scripturæ Canonicos appellamus* &c. Sed bene se habet, Liber ille, in quo id scriptum est, omnino *Liber* est *Bellorum Domini*, licet Copiam ejus non habeamus. Hebraicus textus enim sine omni inciso sic loquitur, *Al cen jeamar besepher Milchamoth Jehovah*, adeoque Substantivo cum Substantivo juncto ad verbum est, *unde dicitur in Libro Bellorum Domini*; Neque ullus hic accentus distinctivus, nisi demum in fine vocis Jehovah, adeoque proxime ante verba ex hoc Libro Bellorum Do-

Domini citata collocatus. Quis vero vel qualis ille *Liber Bellorum Domini* fuerit, iterum varie disputatur. *Nicolaus de Lyra* enim non Librum adeo, quam Narrationem simplicem, sensumque secundum Hebræos esse autumat: *Quando narrabuntur Bella, quæ fecerunt Filij Israel, Dei adjutorio protecti, narrabitur etiam istud quod subditur.* A quo prope abest *Calovius not. in h. l.* Et Pelargus noster *Comm. in eund. l. Fore locum hunc seculis omnibus memorabilem, ut in recensione vel relatione Bellorum Jehovæ memoria ejus nunquam sit interitura.* Et Calvinus in eundem: *Interpretes Sepher accipiunt fere omnes pro Libro: Postea anxie disputant quisnam sit iste Liber, nec tamen quicquam afferunt consentaneum. Ego autem potius accipio pro Narratione: quasi dixisset Moses, cum referuntur Bella Jehovæ, celebrem fore hujus loci memoriam. Sicuti David, ubi Dei beneficia recenset ac commendat, diserte exprimit Sehon Regem & Og devictos fuisse.* Adde *Piscatorem, Junium & Tremellium ibid.* At Drusius non posse Narrationem ejusmodi tantum intelligi autumat, quia duo integri versus ex eo citantur, qui sane non è catalogo, sed è justo Libro descripti dici possint, Mosemque eo fine laudare addit, ut probet Arnon esse terminum inter Moabitas & Amorræos. *Comm. ad difficil. loc. Pentat. l. IV. c. 89.* Adde *Chytræum Enarrat. in h. l.* Grotius media via ingressus opinatur intelligi *Carmina quædam vetusta, quibus res gestæ insignes celebratæ fuerint:* A quo nec nos alienos profitemur: Nam Metricum saltem fuisse è versibus ex eo citatis haud obscure patet quæ & *Tirini* sententia est *in h. l.* Possetque proinde æquiparari priscis illis Carminibus majorum nostrorum, quibus *Tuistonem Deum terra editum, & Filium ejus Mannum celebrare*, unumque hoc memoriæ & Annalium genus habuisse *Tacitus* refert *Mor. German. cap. 11.* Descriptaque hoc Metro Bella Abrahæ & aliorum Sanctorum fuisse infra §. 15. videbimus. Add. *Drusium cit. l. & in Henocho cap. 27.* Ipsos Libros Mosis non posse intelligi modus citandi satis arguit, quod etiam ab Abulensi annotatum: Tanto minus universam S. Scripturam, aut versus illos duos pro Prophetia accipi, quod Rupertus existimat *L. II. de vict. verb. Dei. c. XIIX.* ex eadem ratione *Librum Justorum* eundem cum illo esse, quæ alias *Abulensis* sententia est, iridem fundamento caret. Inter deperditos vero una cum aliis antiquis libris referendum esse communis sententia est: Quales etiam *Liber Justorum Jos. X. 13. Liber Nathanis & Liber Gad I. Paralip. XXIX.*

XXIX. 29. Prophetia Achiæ Silonitæ 2. Paralip. IX. 29. & Semajæ 2. Paralip. XII. 15. Chronicon Jesaiæ de vita Regis Ussiæ 2. Paralip. XXVI. 22. de vita Manasse 2. Paralip. XXXIII. 19. Visiones Addo Videntis 2. Paralip. IX. 29. Confer. *Pelargum c. l.* Sed integritati Canonis Sacri ideo aliquid decessisse, qvod aliquibus videtur, vel Canonicum librum deperiisse, ἀνακόλουθον est, neque enim omnia quæ citantur in Sacris Canonica sunt, nisi quatenus citantur, vel qvia aliquid ex alio autore allegatur, ideo totus Autor statim Canonicus evadit. *Semper licuit etiam ex profanis autoribus verum citare; Neq; propterea Liber ille qui citatur authenticus est.* Drus. *c. l.* Consentit *Augustinus cit. Libr. IV. Qq. super Num. cap. 42. Neq; negandum est*, inquit, *fuisse jam libros sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham: sive Ægyptiorum, ubi didicerat Moses omnem illorum sapientiam: sive cujusq; gentis alterius, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum: qui tamen non ideo sit assumendus in eas Scripturas, quibus Divina commendatur autoritas: Sicut nec Propheta ille Cretensis, cujus mentionem facit Apostolus, nec Græcorum Scriptores Philosophi vel Poetæ, quos idem ipse Apostolus magnum sane aliquid & veraciter promptum apud Athenienses loquens dixisse confirmat: In illo enim vivimus & movemur & sumus: Licet etiam divinæ authoritati inde volucrit quod verum invenerit testimonium sumere; Sed non ideo omnia, quæ ibi scripta sunt accipienda, confirmat.*

V.

Specialia quod attinet, hoc nomine inprimis in V. T. venerunt *Bella adversus VII. populos* susceptæ, Canaanis posteros, *h. Gethæum & Gergesæum & Amorræum & Chananæum & Pherezæum & Evæum & Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam es, & robustiores te*, ut Deus loquitur *Deuter. VII. 1. Jos. XXIV. 11.* Adde *Exod. XXIII. 23. XXXIV. 11. Deuter. XX. 17. Jud. III. 3.* Ubi tamen Gergesæorum nomen omissum, tanqvam pauciorum & viliorum, adeoque sub aliis comprehensorum, quanquam in tribus prioribus locis versio LXX. diserte Gergesæum commemoret: τὸν ἀμορραῖον, καὶ τὸν χαναναῖον, καὶ χεττταῖον, καὶ τὸν φερεζαῖον, καὶ τὸν εὐαῖον, καὶ τὸν γεργεσσαῖον, καὶ τὸν ἰεβουσαῖον. Alibi X. numerantur, ut in prima promissione Abrahæ facta Gen. XV. 19. 20. 21. *Semini Tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti usq; ad fluvium magnum Euphratem: Cinæos & Cenezeos, Cethmonæos & Ethæos & Pherezæos; Raphaim quoque; & Ammorræos & Chananæos & Ger-*

geſæos & Jebuſæos: Quibus ſi Evæi adhuc addantur, XI. erunt, quorum aliqui vero vel ante egreſſum ex Ægypto periiſſe, vel reliquis permixti fuiſſe videntur, ſeu quæ Auguſtini eſt ſententia, VII iſti populi proprie fuerunt, qui Joſuæ tempore ſubjugati ſunt, reliqui vero acceſſere Davidis ac Salomonis temporibus. *Reſidua populorum debellandorum atq; omnino ex Dei præcepto perdendorum ſubjugavit Salomon in tributum, quos utiq; ſecundum Dei præceptum perdere debuit: ſed tamen ſubjugati tanquam tributarij poſſeſſi ſunt.* Et mox: *Tunc ergo amplius ſubjugatum eſt, quod ſeptem illæ gentes tenebant, ac per hoc tunc in ſervitutem redactæ ſunt, non ſeptem, ſed undecim gentes. Quæſt. in Joſ. XXI.* Confer. *Delrio in Geneſ. XV. 19. Corn. à Lapide in eund.* Acceſſerunt & *Amalekitæ*, quorum connexa cum Cananæis cauſa erat. *Grot. J. B. III. IV. IX. 1.*

VI.

Hi ergo Bellis Domini petendi eorumque Jure exſcindendi fuere: *Percuties eos usq; ad internecionem: Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum; Neque ſociabis cum eis conjugia.* Deuter. VII. 2. 3. *Nullum omnino permittes vivere: ſed interficies in ore gladij, Ethæum videlicet & Amorræum & Chananæum, Pherezæum & Evæum & Jebuſæum, ſicut præcepit Tibi Dominus Deus Tuus.* Deuter. XX. 16. 17. *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſunt tibi in ruinam.* Exod. XXXIV. 12. Et de Amalekitis: *Memento quæ fecerit tibi Amalek in via, quando egrediebaris ex Ægypto &c. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & ſubjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen ejus ſub cœlo. Cave ne obliviſcaris.* Deuter. XXV. 19. Unde & Joſephus de bello Sauli adverſus eos: Nihil crudele tunc aut inhumanum in eos commiſſum fuiſſe, πρῶτον μὲν πολεμίους ταῦτα δρῶν, ἔπειτα πρὸς ἄγματι θεῷ, ᾧ τὸ μὴ πείθεσθαι κίνδυνον ἔφερε. *Primum quod in hoſtem ſæviret, deinde quod juſſu DEI, cui non parere periculoſum eſt. Antiqu. Libr. VI. c. 8.* Atque adeo Bella in eos *Dei Bella* proprie nominata, quia Dei juſſu, non humano arbitrio ſuſcepta. Grot. *J. B. L. I. c. II. §. II. n. 1.* Deo autore quoque geſta, quippe cui placuit primis Iſraeliticæ Reipublicæ ſeculis humano more in ea Principatum gerere. *Exod. XIX. 5. 6.* Quod pluribus demonſtratum *Anal. Hiſtor. c. V. §. IV. Sect. 3.* Quæ proinde & *Bella Præcepti*, ut ſupra vidimus, alia à *Bellis Licentiæ*, ab Hebræis dicta fuere, quorumve

Iſra-

Israelitæ non tam autores, quam ministri censeri poterant, ut *Augustinus* loquitur *Qu. X. Selden. de Jur. Nat. L. VI. c. 12.* Secutis quoque post Saulum ac Davidem temporibus Nomen hoc desiit, Deo quippe Theocratiam suam cum statu Regio commutari permittente, & non minus ac antea Populum Israeliticum adjuvante, promovente, puniente, attamen Jura Majestatis humano more non amplius exercente, adeoque nec Bella decernente: Subjugati præterea per Davidem erant hi Populi, & ad Servitutem publicam redacti. *1. Reg. V. 15. collat. cum 1. Reg. IX. 20. 1. Chron. XXII. 2. & 2. Chron. II. 17. 18.* Unde nec postea cum iis bellatum, nec *Bellorum Domini* Nomen amplius auditum fuit: Quæ sua luce radiant. De causa vero tum horum Bellorum, tum gravium istorum edictorum quæstio remanet, quam justissimam fuisse nullum dubium est, qualis autem fuerit à Dd. varie disceptatur.

VII.

Allegant itaque (1) *Absolutum Dei Jus* in homines pariter ac bona ipsorum. *Dei ista sunt opera, cujus in Homines jus majus est, quam hominum in bestias.* Grot. *J. B. & P. III. IV. IX. I.* seu ut explicatius loquitur: *Ipse Jus Dominij plenissimum habet, ut in res nostras, ita & vitam nostram, ut munus suum, quod sine ulla causa & quovis tempore auferre cuivis, quando vult, potest. Eod. J. B. II. XX. XIV. 1.* Similiter Serarius in *Jos. VI. Qu. 2. Etiamsi nulla in Chananæis culpa, nullum in gente delictum hæreret, justissime tamen potest vitam, opes, possessiones & regiones, quibus placet donare, quia summus & independens omnium Dominus est. Sic enim fecit, cum hominem ipsum effecit, eiq; Paradisum attribuit: cum deinceps Noæ filios in partes varias disperxit suosq; singulis terminos circumscripsit.* Atque iterum: *Nonne Ps. XXIV. Ipsius est Terra &c. Nonne vinearum, agrorum ditionumq; omnium fines in sua unius manu perfectissime habet, ideoq; quibus vult, eos arbitratu suo, justissime aut adimit, aut largitur? Hic vero Josuë in terram transire jubet, quam ego, ait, dabo, &c. ut ea bono jure potirentur.* Idem *in Jos. cap. I. Qu. 5.* Et Andreas Masius: *Illud certe nemo nisi impius negaverit, meræ liberalitatis esse, quicquid DEUS largitur mortalibus: ac proinde neminem unquam, ne probissimum quidem, & qui plane secundum hujus voluntatem vivat, jure expostulare posse, si quæ ab ipso accepit, amittat, nedum improbos & adversus eum contumaces.* Comment. *in Jos. cap. I. n. 2.* cujusmodi & apud alios passim leguntur. Sed absolutum illud

Jus DEI in homines licet negari non possit, eo tamen sensu, quo hic accipi volunt Autores, dubiis non caret gravissimis. Nam verum quidem est, homines quicquid possident, illud à liberali DEI manu accipere, precarioque jure possidere; Neminem etiamsi vel nihil vel minus altero accipiat, eo nomine expostulare posse, cum omnia ab absoluto DEI jure hoc, meraque & arbitraria benignitate DEI manent, qua ille uti vel non uti, vel etiam aliter uti potest; Sed ex eodem Jure absoluto, h. sine omni causa alia meroque proinde arbitrio jus semel quæsitum hominibus auferre, id vero est quod in dubio remanere putamus: Nam id pugnat (1) *cum Justitia Dei*, qua sicuti suum cuique tribuit, ita quod suum est nemini sine causa aufert, ac licet plenum jus non sit, quod homines accepere, dum tamen semel tributum est, verum Jus est, proindeque sine injuria auferri non potest. (2) *Cum Sapientia ejus*, quæ nihil in incerto relinquit, sed omnia ordinate disponit: Hujusmodi ablatione, arbitraria vero totum genus humanum in incertitudinem conjiceret. Ac sicut inter homines donationem semel factam qui repetit, injustitiæ ac levitatis notam effugere non potest, ita hic quoque ablatio ejusmodi non nisi vanitas foret, & mera ostentatio potentiæ, cum per se constet Enti Potentissimo Creaturam resistere non posse. (3) *Cum Bonitate Divina*, quæ homines passim sine causa bonis cumulat; Non credibile igitur salva summa hac Bonitate, quæ data sunt, sine causa auferri posse. Nec sufficere opinamurSummam & absolutissimam DEI potentiam hac in parte allegari, quam nemo negat, attamen rationalem, utpote Entis summe Intellectualis eam agnosci oportet, h. salva ejusdem Justitia, Sapientia & Bonitate; Minime vero talem, de qua dici posset, quod de male consulta Potentia Principum Asperorum *Seneca* dixit, *multos occidere & indiscretos incendij ac ruinæ potentiam esse. Clem. L. I. c. ult.* Itaque si nulla alia ratio fuisset, hanc non opinamur sufficientem futuram fuisse adCananæos debellandos sedibusque suis ac vita privandos. Valetque omnino, quod *Masius l. c.* licet de jure tantum inter homines scribit: *Hic cum sit totius Mundi Effector & Dominus, sic suas cuiq; genti sedes in terris attribuit, ut eas precario quidem possideant, si donantem illum spectes, cæteroqui vero prorsus ut legitimi hæredes obtinere eas adversus externas injurias debeant.*

VIII.

VIII.

Igitur II. adducunt *gravissima horum populorum Scelera*, qualia, *nefanda Sacra, belluina crudelitas, incesta libido, aliaq; flagitia, quæ vulgo ac passim in sese admiserint & à quibus recta ratio & natura hominum communis refugiat atq; abhorreat. His Cananæos ad summum perveniisse & ultricem manum tantum non postulasse*, ut *Episcopius* loquitur *Instit. Theol. L. III. Sect. II. c. 9. n. 9.* Neque aliena ab hoc Sacra Scriptura videtur esse: *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum; Et quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. Levit. XVIII. 24. 25.* Et ut Autor Libri Sapientiæ loquitur: *Illos antiquos inhabitatores Terræ Sanctæ Tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina & sacrificia injusta; Et filiorum suorum necatores sine misericordia & comestores viscerum hominum; Et devoratores sanguinis & auctores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluisti à medio Sacramento tuo per manus parentum nostrorum. Sap. XII. 3. 4. 5. 6.* Quo sensu proinde Israelitæ dicentur in Bellis hisce mandatum speciale habuisse, *ad exequendam rem à DEO judicatam* in hosce maximorum criminum reos populos. *Grot. J. B. I. II. II. I.* seu ut *Augustinus* loquitur: *Quia eos dupliciter invenit reos divina censura, pro eo quod est terras alienas invaserant, & postea scelera & crimina inaudita commiserant, justo judicio puniuntur, & Israelitico populo antiquorum Patrum possessio reformatur. Serm. de tempore CV.* Confer. *Cornel. à Lapide Comm. in Gen. IX. 25. & Levit. XVIII. 28.* Quæ sane contemnenda non esse, naturalis ratio dictitat; Si enim ex delicto capitali quis se vita fortunisque suis indignum facit, certe hi populi etiam ob coacervata delicta ejusmodi vita, juribusque inter homines digni non fuisse censebuntur. Dubium tamen remanet, cur in hos potius tam acerbe animadverti DEUS voluerit, cur non etiam in aliarum regionum populos, cum horum non minora delicta fuerint? Cur non in Ægyptios, autores omnis ipsiusque crassæ Idololatriæ? *Non solitum Chananæi peccatores* inquit Serarius, *par aliarum plurimarum gentium crimen erat: par in DEI cultu vitæq; modo perversitas & quidem earum gentium, quæ orientem versus & meridiem tam commode quam Chananæi adiri potuissent. Cur aliis igitur Israelitæ parcerent, unosq; ad pœnam & exitium deposcerent Chananæos? Comment. in Jos. c. VI. Q. II.* Si etiam Amalekitæ ob molestiam Israelitis in Itine-

re exhibitam exscindendi fuerunt, cur non & Midianitæ, qui in eadem peregrinatione ipsos longe majoribus insidiis petierant, Deiq; iram in eos concitaverant, Bello quidem ea de causa petiti, sed non ideo excidio damnati, quin potius flagella Israelitarum postea redditi. *Jud. VI. 2.* Ubi quidem longanimitatem DEI, ejusque inscrutabilia judicia allegare non vane licebit, qua in alios tardius, in alios citius animadvertere amat; Sed hoc Asylum tunc demum innocue complectimur, cum nulla alia ratio Voluntatis divinæ apparet; In hanc sobrie inquirere dum adhuc licet, ad illam sacri silentii excusationem confugere nec dum opus erit.

IX.

Autumant itaque Serarius, & ante eum multi alii, *Chananæos justum titulum possessionis non habuisse*, adeoque præ aliis in eos animadvertendum fuisse, quia non tantum graviorum criminum rei, sed una regionis istius injusti usurpatores extiterint, *in quo & DEI judicium rectissimum comprobatur, qui & illos de locis alienis, quæ male occupaverant expulit, & istis antiquam Patrum possessionem, quæ prosapiæ eorum in divisione orbis fuerat deputata restituit.* Quæ etiam communis Patrum sententia est. Sed in ratione injusti hujus tituli iterum variant, quæ omnino reddenda est, cum alias non minus ac alii populi jus occupandi partem aliquam terrarum orbis videantur habuisse. *Epiphanius* igitur autumat Palæstinam Semi posterorum ex divisione Noachica propriam à Cananæis occupatam fuisse pulsis Semæis, hosque proinde avita jura sua repetere potuisse: Narrat nimirum *Chamo Africam, Semo Asiam, Palæstinam, Phœnicem &c. Japheto Europam obtigisse, centrumq; divisionis Rhinocoruram, Regionem medio loco inter Ægyptum & Palæstinam è regione Maris Rubri adeoq; Isthmum inter Asiam & Africam fuisse; Ac convocatis postea tribus filiis decrevisse jurejurando, ut nemo sortem fratris sui invaderet & fratrem suum circumveniret. At Chanaan filius Cham, cum avarus esset, invasit Palæstinam terram & occupavit ipsam: & appellata est terra Chanaan, eo quod in ipsa habitavit, propria sua sorte relicta, quod nimio calore referta esse videbatur: Et sedens in terra ipsius Sem, quæ nunc Judæa appellatur, genuit hos filios Amorrhæum, Gergesæum, Pherezæum, Jebusæum, Evæum, Arucæum, Chettæum. Asenæum, Samaræum, Sidenium & Philistiæum. Ob id etiam Dominus in Lege dicit, ostendens quod peccata ipsorum in jurejurando implebantur, dum dicit, non-*

dum

dum impleta sunt peccata Amorrhæorum, &c. *Contra Hæres. Libr. II. f.315.* Quod porro explicat *Ancorati f.547. Longanimem fuisse DEUM, pœnitentiæq; tempus dedisse, ut pœnitentiam agerent hi, qui ex Cham nati essent & restituerent filiis Sem propriam hæreditatem, illi vero pœnitentia non adcerentur, sed vellent mensuram ipsorum implere: tunc DEUS post multas postea generationes justus existens, ulciscitur jurisjurandi transgressionem; Sic enim Amorrhæorum mensuram impleri oportebat. Sem enim genuit Arphachsad, &c. Hæc est progenies eorum, qui à Sem geniti sunt. Hos igitur injuria affectos à filiis Cham, & proprio loco spoliatos: DEUS ulciscitur, exterminans progeniem Chanaan, juxta jusjurandum ipsorum. Et semen Sem propriam recipit regionem.* Et Augustinus *Serm. CV. de Tempore: Tradunt majores nostri, quod quando Filij Noë omnem terram inter se invicem diviserunt, terra ista quæ dicitur Chananæorum, in divisione orbis, seniori filio Noæ, id est, Sem, in possessionem obvenerit & eam tempore non parvo possederit. Postea vero increscentes populi Chananæi, de illo utiq; filio, qui à Patre fuerat maledictus, venerunt ad loca illa, & per violentiam expulsis fratribus suis i.e. filiis Sem, terram eorum more barbarico possederunt. Et quia beatus Abraham de genere Sem legitur fuisse, filij ejus, i. populi Israelitæ non alienam terram tradente Domino persvaserunt, sed suam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderunt, receperunt. Et quia Chananæi, excepto illo peccato, quod possessionem alienam invaserant, multa nefanda & inaudita crimina committebant, in tantum, ut quando Dominus Sodomam & Gomorram subvertebat, dixisse legatur: Nec dum etiam completæ sunt iniquitates Amorræorum: & expectabat Dominus, ut aut converterentur, & agerent pœnitentiam; aut certe si converti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi mensuram implentes, justissimam DEI sententiam sustinerent. Quia ergo eos dupliciter invenit reos divina censura*, &c. Similia ex Jacobo Orrhohaita seu Edesseno & Mose Barcepha refert Masius *in Jos. cap. I. f. 11. 12.* Sed ipse agnoscit id nec argumentis satis firmis probari posse, vel unquam ab Israelitis oppositum fuisse. Addimus ipsam divisionem à Rhinocorura petitam vix probari posse, longeque probabilius centrum divisionis Terrarum in illis locis quæri, ubi primum homines ex Arca egressi fuere, quos inde quoque in omnes mundi plagas exiisse verosimile est, quo & propendet *Hornius Not. in Sulpit. Sev. Arias Montanus Phaleg. cap. IX. Josephus Antiqu. Lib. I. c. VII.*

X. Ru-

X.

Rupertus Tutiensis *ex fede sepulchrog, ab Abraha emtionis titulo acquisito* jus hoc derivari posse opinatur; *Dum illic ubi primus parens orbis terrarum situs est, ædificat Altare nomini Domini, hoc jam titulo sese prædicat hæredem totius mundi. Et dum locum eundem comparat in possessionem monumenti, jus quoddam suo collocat semini, ut non solum cœlesti arbitrio, pro eo quod Chananæi essent peccatores, sed & quadam seculari justitia filij Abrahæ terram illam reposcerent, quam habitatores ipsius patri suo in possessionem sepulchri vendidissent. Comment. in Gen. Libr. V. cap. 10.* Sed ita Israelitæ quidem jus in agrum, in quo monumentum Patriarcharum situm erat, vel si quis malit, in tractum Hebronensem, non vero in totam Palæstinam habuissent; vel etiam Condominium quidem in Palæstinam, non vero Dominium plenum accepissent, minime omnium jus habuissent Cananæos tota Palæstina expellendi.

XI.

Vero simillimum itaque autumamus, Jus hoc *ex ipsa qualitate Canaanis*, cujus posteri hi populi fuerunt, manasse, qui quoniam per divinam maledictionem *in Servilem conditionem* & quidem vilissimam *Servi Servorum* conjectus fuerat, nec ipse jus personæ amplius habere, nec in posteros transmittere, adeoque nec possessionem aliquam vel ipse occupare, vel posteris relinquere potuit, adeo ut cum reliqui omnes Noachi nepotes vel divino nutu vel etiam Noachi avi autoritate in possessionem alicujus Terræ partis missi, solus Canaan, autoritate divina, Noachoque interprete, jure hoc indignus declaratus fuerit; Veluti & universa Chami progenies similem fere sortem experta perpetuaque tantum non Servitute pressa vix stabile aliquod Imperium condidisse legitur: De quo V. *Horn. Orb. Polit. f. 434.* Cananæi igitur, quia nullum jus in aliquam terræ partem adeoque nec in Palæstinam tanquam Servi Servorum, h. vilissimi Servi habuerunt, eosdem quicquid tenuere, id tanquam usurpatores tenuisse censendum est, è quo etiam sine injuria quovis tempore, à quolibet pelli potuerunt, sicut quæ nullius sunt à quolibet occupari possunt: Huicque intrinseco defectui juris, quoniam enormia scelera, de quibus antea dictum, accesserunt, hinc & maledictionis rigor idem perstitit, sicut alias

in

in Servili conditione constitutis benignius quoddam temperamentum invidendum quidem non est, at si contumaces sint, summum jus in eos sine injuria exerceri potest: Cujusmodi exempla ex Jure Romano sunt in JCto Silaniano & similibus, quibus unice causam dedit Servorum malitia. Cur vero DEUS Israelitis potius quam alii populo hanc justo possessore adhuc vacuam regionem attribuere voluerit, id vero demum soli benignitati ejus tribuendum, sicut & alias in humanis Principes Bona caduca pro arbitrio, quibus maxime bene cupiunt donare solent. Accedere tamen potuit & hac in re specialis ratio Regionem hanc præ aliis legitimo possessore vacuam Israelitis relinquendi, ob situs ejus in orbe veteri commoditatem: in quo veluti Centrum quasi obtinuit, ita aptissima DEO visa fuit, in qua vera Religio, adeoque Ecclesia stationem suam haberet & ex ea postea per totam mundum divulgaretur. Quo fortean collimabunt, quæ apud *Pareum* leguntur *in Gen. XI. 6. Hebræi dicunt Cananæos aliquamdiu tenuisse & coluisse ternam alienam Servorum instar, ea lege ut suo tempore Hebræis ex Sem oriundis tanquam legitimis Dominis eam traderent.* Idem habet in Cap. XI. 25. *Cum jam olim fuerint à DEO maledicti, jure potuerunt DEO sic jubente ab Israelitis deleri: Et effectus hujus maledictionis tunc maxime patuit, cum Cananæorum populi ab Israelitis partim deleti sunt, partim in servitutem redacti, post annos circiter 907.* Verba *Gen. XV. 16.* quod attinet, *Nec dum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus*, ea capienda ducimus, non quod jus illo tempore Abraham nondum habuerit, sed quod juris istius executio adhuc suspensa fuerit, tunc demum secutura, cum mensuram peccatorum impleturi essent.

XII.

Hinc etiam haut difficulter colligere est, cur DEUS in alios populos æque enormium peccatorum reos Israelitis idem jus permittere haut voluerit, quia nimirum ex Canaanis posteris non fuerunt, veluti de Idumæis edixit, Deuter. II. 5. *Ne moveamini contra eos; Neq; enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.* Et de Moabitis itidem v. 9. *Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium; Non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi eam in possessionem.* Et de filiis Ammon v. 19. *Et accedens in vicinia filiorum Ammon,*

mon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium; Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem.. Imo in una eademque materia negati innoxii transitus Idumæis libere, repugnare licuit & Israelitas acquiescere oportuit: *Statim egressus est obvius cum infinita multitudine & manu forti: Nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos, quamobrem divertit ab eo Israel.* Num. XX. *21. 22.* Ast adversus Sihonem Regem idem in causam belli versum Num. XXI. 23. & Deut. II. 32. 33. Nimirum Idumæi justum titulum possessionis suæ habebant, Sihon Rex utpote Amorræus neutiquam, adeoque nec jus habebat ab eo, quod suum non erat, alterum arcendi.

XIII.

De *Ægyptiis* videtur gravius dubium esse, cum hi itidem ex posteris Chami fuerint: Veruntamen quia posteri Canaanis non fuere, ad eos maledictio divina extendi non potuit, veluti communiter in odiosis interpretationem ultra contenta non extendi moris est: Immo è contrario Israelitæ benigne cum iis agere jubentur in memoriam hospitii olim inter eos habiti: *Non abominaberis Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus, qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.* Deut. XXIII. 7. 8. Attamen fœdera cum iis inprimis sub postremis Regibus improbata, ut Jes. XXXI. 1. *Væ, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigas, quia multæ sunt & super equitibus, quia prævalidi nimis.* Non utique odio Nationis, sed ob animi vitium unde procedebant, ideo additur: *Et non sunt confisi super Sanctum Israel & Dominum non requisiverunt.* Eoque demum exitiosa Israelitis extitere, Babyloniis eo nomine ipsos acrius petentibus; Inter quos & Ægyptios cum perpetua æmulatio de potentia esset, Israelitæ vero tanquam medii inter utrosque constituti, suspectamque ducentes Babyloniorum potentiam, Ægyptiorum amicitiam præferrent Babylonicæ, tandem factum fuit, ut Israelitas absorberi oportuerit. De quo mox pluribus dicendum erit.

XIV.

An rigor ille Bellicus perpetuus & sine limitatione fuerit, porro dispiciendum. Negat Grotius, legemque illam de internecione ex legis alterius *Deut. XX. 10.* comparatione intelligendam esse autumat, ut

ut locum haberet, *nisi qui moniti statim facerent imperata*, eamque in rem exemplum Rahabæ allegat, cui ob bene merita parcitum est; Et Salomonis, qui Cananæorum reliquias sub imperium ac tributum accepit: Gibeonitarum vero inprimis, quos si etiam conditionem suam indicassent, quod præ metu non fecerunt, tamen vitam salvam sub parendi conditione impetraturos fuisse, censet. *J. B. II. XIII. III. IV. 2.3.* Eadem sententia *Tirini in Jos. IX.* Sed rationem cur pacem *Deut. XX.* urbibus offerri jussam priusquam expugnarentur etiam ad Cananæos extendi oporteat, non aliam reddunt, quam ab autoritate *Rabbinorum*, *Augustini*, *Lyrani*, ipsiusque *Calvini*, *Junij*, *Tremellij*, & aliorum petitam. Add. *Episcop. Instit. Theol. Libr. III. Sect. II. c. IX. n.3.* Qualia & apud alios passim videnda. Nos è contrario autumamus legem illam de exscindendis VII. populis ratione Israelitarum stricti juris, adeoque secundum rigorem verborum capiendam, neque à conditione quadam oblatæ prius rejectæque pacis suspensam fuisse: Nam lex illa *Deuter. XX.* capienda *de Bellis Israëlitarum*, non vero *de Bellis Domini*, quippe in quibus meri ministri & executores sententiæ divinæ, non interpretes extitere, ideo & cum expressa distinctione urbium remotarum & Cananæarum loquitur: *Sic facies cunctis Civitatibus, quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his urbibus quas in possessionem accepturus es. De his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere: Sed interficies in ore gladij, Ethæum videlicet & Amorræum & Chananæum, Pherezæum, & Evæum, & Jebusæum, sicut præcepit Tibi Dominus DEUS tuus.* Quod etiam urgeri videmus à *Calovio* ad Deuter. VII. 2. *Neq; in Historia Josuæ legitur*, addit Calovius, *ulli Civitati prius oblatam esse pacem, imo ex ipso Gibeonitarum exemplo manifestum est, illis pacem offerendam non fuisse, siquidem etiam post juramentum indemnitatis præstitum Israëlitæ adhuc eos internecione delendos esse judicarint, quod vi hujus constitutionis divinæ se ad id obstrictos crediderint, ubi eos in medio terræ Canaan habitare viderunt. Unde Josua cum toto Israele dixit iisdem Jos. IX. 1. Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum; obstare enim hanc divinam constitutionem probe intelligebant.* Interim licet Israëlitæ à rigore illo sine peccato nihil remittere potuerunt, DEUM tamen illum temperare, vel etiam personas aut cœtus certos eximere potuisse tanquam autorem legis nulli dubitamus: Sicque sentiendum

dum de Rahabæ exemplo, qvippe cujus fides prædicatur, non post debellatos Chananæos, sed in ipsa custodia speculatorum, *Fide Rahab meretrix non perit cum incredulis: excipiens exploratores cum pace*, *Hebr. XI. 31.* Salomonem vero tributarios reddidisse Cananæos legimus qvidem *1. Reg. IX. 21.* sed non ideo approbatum cernimus: Qvanqvam morte civili jam antea periisse, h. jura & qualitatem populi amisisse verosimile sit, cum nec antegressis nec secutis Regum temporibus illorum amplius mentio fiat. Accedit tributarios ibidem dici, sed sine dubio non eo sensu, quo Israelitæ solvebant tributum pecuniarium, sed longe deteriori, damnati quippe ad opera servilia & sordida, adeoque revera ad veterem statum conditoris sui, *ut essent Servi Servorum* redacti fuere: Veluti è contrario de Filiis Israel, *non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores &c. 1. Reg. IX. 22.* Qvæ *Martyris* ferme est sententia *not. in h. l.* Neqve alia fuit Gibeonitarum conditio, qui licet in vita propter juramenti religionem servati fuerint, nihilominus civili morte affecti h. juribus populi exuti adeoqve in servitutem publicam quidem, attamen non eo minus perfectam redacti fuere: *Decrevit namq; Josua eos esse in ministerio cuncti populi & altaris Domini, cædentes ligna & aquas comportantes usq; in præsens tempus in loco, quem DEUS elegisset.* Addita quoque maledictionis nota v. 23. tanquam veteri illa infamia hoc modo resuscitata. Nec ideo in servandis Gibeonitis recte feciisse Israelitæ dici possunt, nam pactum quod iniere, si etiam cum extraneis, quales se mentiebantur, fuisset, nihilominus nullum futurum fuisset, qvia jus fœderum inconsulto DEO illo tempore non habebant, DEUS enim Rex Princepsqve eorum humano more adhuc erat, neque qvalitatem illam deposuit ante Samuelis tempora; ideo & queritur Liber Josuæ, *Israelitas suscepisse de Cibariis eorum & Os DEI non interrogasse*, Jos. IX. 14. DEUM tamen etiam hac in parte dispensasse, seu potius quod initio injustum fuit irritum reddere noluisse, ex post-facto innotuit, in Bello enim pro defensione Gibeonitarum suscipiendo sponte animum Josuæ addidit, nullumqve ipsi restiturum esse promisit, *Jos. X. 8.* Dici posset etiam, in pœnam præcipitantiæ DEUM eos servari voluisse, sicuti postea & alios populos in pœnam, vel δοκιμασίαν Israelitarum relinquendos censuit, qvia negligentiores se gesserant in iis pellendis, ne-

neqve voci Domini paruerant, *Jud. II. 2.3. & seqq.* Adeoque de priori rigore illo ob causam specialem ipsummet remisisse. Nec DEI judicium & pœnam opponi divinæ constitutioni, ut *Calovius* alias de Cananæorum tolerantia loquitur *c. l.* Nam antea non debuissent fœdus inconsulto DEO inire, at eodem nihilominus inito jam tolerare eos debebant, sicuti nec prius parcere debuissent Cananæis, postea per judicium DEI *cit, Jud. II.* limitatum & juramento firmatum *v. 15.* ob intempestivam in ipsos misericordiam tolerare eos inter se coacti fuere. Alia quæ hac in re adversus *Grotium* notari potuerunt legenda apud eundem *Calovium l. c.*

XV.

Hæc de Bellis Canaaniticis, tanquam Bellis Domini κατ' ἐξοχὴν dictis: Non dubitamus tamen latius extendi posse istud *Bellorum Domini* Nomen eoque generalius omnia illa comprehendi, quæ tum ante ingressum Israelitarum pro conservanda Caananitide, tum durante Theocratia seu Divina in Populum Israeliticum Monarchia pro eadem gesta fuerunt. Ad priorem speciem referetur Abrahæ Bellum contra quatuor Orientales Reges, ad defendendam Jure donationis acceptam Palæstinam, & in ea injustos quidem, attamen illo tempore adhuc toleratos possessores contra injustitiam tertii: Forte etiam Jacobi Filiorum contra Sichemitas, ex injusta quidem causa speciali profectum attamen non sine jure quodam generaliori in Canaanitidem: Ideo dicit Jacob, *se gladio & ense suo acquisivisse Sichemam, Genes. XLVIII. 22.* cum tamen actum illum Filiorum suorum alias improbasset: Quomodo Romani occupationem Ennæ tanquam injustam improbabant, attamen non eo minus utpote ex alio capite sibi debitam se retinere posse putabant. De quibus similibusve Bellis quoque *Librum Bellorum Domini* egisse opinamur, de quo supra actum §. *IV.* Ad posteriorem pertinebunt omnia bella, quæ durante Theocratia Israelitica gesta fuere, utpote in quibus specialis Divina autoritas tanquam Summi Principis variis actibus eluxit: Ideo namque non jubente DEO in ipsamet causa Cananæorum in Bellum profecti profligati fuerunt; *Et contenebrati ascenderunt in verticem montis; Arca autem testamenti Domini & Moses non recesserunt de castris. Num. XIV. 44.* Et in Bello adversus Benjamitas utut justam causam habentes *Jud. XX. 13.* bis ceciderunt, quia non de vo-

voluntate Summum illo tempore Principem suum, sed tantum quis ipsorum Dux futurus esset, consuluerant, cum Prælia pariter ac Bella decernere solorum sit Summam potestatem habentium. Duces præterea ab eodem nominati: Uti Jud. I. 1. 2. *Post mortem Josua consuluerunt filij Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux Belli: Dixitq; Dominus: Judas ascendet, ecce tradidi terram in manu ejus.* Secutique non exiguo numero Judices, h. Duces militiæ, iidemque variis qualitatibus selecti; *Successit enim Viribus fortibus Debora fœmina debilis, Gideoni Viro Bono Vir malus Abimelech, Viro nobili Jairo Jephthah vir obscurus, sine dubio in argumentum, Deum nulla habita ratione prudentiæ, ætatis, generis, sed sola omnipotentia sua Israelitas juvare voluisse. J. Desp. Harm. temp. P. I. fol. 82.* Selectus militum quoque ab eo præscriptus in Bello Midianitico secundo, non tantum ad agnoscendam potentiam, sed etiam autoritatem divinam: *Multus tecum est populus; nec tradetur Midian in manus ejus, ne glorietur contra me Israel, & dicat, meis viribus liberatus sum.* Jud. VII. 2. Et mox: *Adhuc Populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi proba illos: & de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat, quem ire prohibuero, revertatur.* eod. c. IV. Et in Bello Midianitico primo *Num. XXXI.* Injuriam Israelitis illatam in suam reputavit DEUS, cum enim *v. 2.* jussisset ulcisci Filios Israel de Midianitis, mox *v. 3.* præcipit eligi viros *ad pugnam, qui possent ultionem Domini expetere de Midianitis:* Injuria enim Populo illata in ipsummet Principem redundat. Denique etiam Prædæ dispensandæ arbitrium ab eo exercitum in eodem Bello, *Num. XXXI. 17. & seq.* factaque primo quoad res se moventes partitione inter populum & milites, *v. 32. 33.* his dimidiam attribuit propter merita, *v. 27. & 30.* ut nimium fructu laboris percepto inposterum ad alias expeditiones promtiores fierent; Alteram vero Populo reliquit, in solamen damnorum à Midianitis passorum: Quinquagesima vero pars à populo; & quingentesima à militibus tanquam Decima Quinquagesimæ in Decimam ab eo acceptata: Quomodo & Abraham de spoliis quatuor Regum Decimam DEO dedit, *Gen. XIV. 20. Hebr. VII. 4.* & Græci Romanique Diis suis decimam de præda sacraverunt. Grot. III. c. IV. §. 1. Res mobiles deinde, ut Aurum, Argentum, & ss. militibus promiscue & solis quidem concessæ v. 53. At ex iis ἐξαίρετον & præcipuum DEO iterum oblatum

tum *tan quam Principis portio v. 50. 51.* Sicuti Imperatori Bellico alias in divisionibus prædæ licebat præcipuum accipere, quantum vellet. Grot. *cit. L. III. c. VI. §. 17.*

XVI.

Videbuntur & *Bella Babyloniorum* contra Judæos *Bella Domini* dicenda esse, nam *Jerem. VI.* legimus: *Sanctificate super eam bellum; consurgite & adscendamus in meridie*, quod quidem Chaldæus Interpres reddidit: *Præparate contra eam bellatores, LXX.* παρασκεύασθε, ut tamen sanctificandi terminum retineamus, facit similis loquendi modus *Joel. III. 9.* ubi itidem *Kaddeschu Milchamah* idemque à Chaldæo similiter redditum *Præparate bellatores*, sed LXX. ἁγιάσατε πόλεμον, bellumque proinde Sacrum fuit, quod Babylonii gesserunt, utpote in violatores præceptorum DEI Judæos, & à Babyloniis tanquam ministris executionis divinæ susceptum. Accedit 2, Nebucadnezarem *Servum DEI* vocari, Jerem. XXIV. 9. *Ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis servum meum.* c. XXVII. 6. *Et nunc itaq; ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis Servi mei.* Add XLII. 10. Nec ignota hæc fuisse Babyloniis ex colloquio Principis militiæ cum Jeremia haut obscure patet. *Jerem. XL. 2. 3. Dominus DEUS tuus locutus est malum super locum istum; Et adduxit & fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino.* Sed enim Bella Domini quæ diximus, solo DEO autore constabant, nec humanam causam specialem habebant; At Nebucadnezaris exercitus executor quidem Judicii Divini in Israelitas fuit, sed non eo minus causam specialem ex æmulatione adversus Ægyptum habuit: Inter quam & Regnum Babyloniæ cum media Palæstina sita esset & ambo crederent accessione ejus potentiam suam haut parum auctum iri, ideo vel in partes trahenda, vel cum crescente jam Babyloniorum potentia in Ægyptum propendere videbatur, subruenda erat, æque ac sub Successoribus Alexandri M. inter Syriæ & Ægypti Reges media posita modo hujus modo illius invasioni patuit, donec ut utriusque vim declinaret, fœdus inæquale cum Romanis eligeret. Itaque & Bellum hoc licet respectu DEI justum sanctumque esset, respectu Babyloniorum tamen eorumque causæ non eo minus injustum extitit; Metus vicinæ potentiæ enim nunquam justam bellandi causam præbet, nisi in nos eam dirigi sciamus: Neque etiam jus Judæorum

orum metu Babyloniorum tolli poterat. Ideo & licet sciverunt Babylonii excidium istud Regno Judaico prædictum esse, non tamen propter prædictionem aut alias sibi patefactam voluntatem DEI Bellum hoc gessere, quia etiam sine ea id gesturi fuissent, ut satisfacerent ambitioni suæ; Neque meliores aut sanctiores nomen *Servi DEI* Regi ipsorum tributum reddere potuit, nam DEUS etiam malorum hominum ipsiusque Diaboli opera subinde utitur, licet malitiam eorum non approbet. Vid. *Grot. J. B. & P. II. XXVI. VI.* Valebitque hic proinde, quod alias Augustinus occasione comparationis Judæorum & Sodomæorum, *Matth. XI.* ait. *C. I. Qu. I. Can. 36.* Gentiles, si quid Divinum & rectum habere potuerunt, non improbaverunt Sancti nostri: quamvis illi per suas superstitiones & Idololatriam & superbiam, cæterosq; perditos mores detestandi essent, & nisi corrigerentur, Divino judicio puniendi.

XVII.

Interim ex alio quoque capite Nebucadnezarem *Servum DEI* dictum autumamus, non quod illo tempore fuerit, sed per prolepsin quod talis futurus esset, nimirum non ideo tantum quia executor & minister Judicii Divini in Judæos fuit, aut quia vicarius Divinæ Majestatis in magna terrarum parte extitit juxta illud, *Jer. XXVII. Et servient ei omnes gentes & filio ejus & filio filii ejus*; Sed & quia sensu demum cultuque veri DEI imbutus, atque adeo speciali jure Servus DEI evasit, *Pœnitentiam egit, fidem in DEUM habuit, DEI gloriam promovit, blasphemiasq; prohibuit*, ut è nostris *Bullingerus* loquitur *Homil. in Dan. VI.* In quam tanquam benigniorem sententiam ut propendeamus præter illa, quæ *Dan. IV. 31. 34.* leguntur, efficit autoritas *Augustini de Prædestin. & Grat. c. 15. Unde Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit & Regnum quod perdiderat rursus accepit?* Et *Hieronymus Ep. VII. ad Lætam de Institutione Filiæ*, inter exempla seræ, attamen seriæ ac veræ pœnitentiæ Nabuchodonosorem collocat: *Nunquam est sera conversio, Nabuchodonosor Rex Babylonis post efferationem corporis & cordis & belluarum in eremo convictum mentem recepit humanam.* Nequid dicamus de Græcorum mediis Seculis opinione, quanquam fabulis pleniſſima quæ legitur apud *Autorem Vitæ Prophetarum*, quæ Epiphanii nomine prodiit, in vita Danielis. Immo & gloriam DEI man-

mandatis publicis promovit *eodem Dan. IV. 1. 2. Dan. III. v. ult.* eoque vel hoc nomine specialiter *Servus DEI* vocandus; Veluti & specialis hic fructus fuit Captivitatis Babylonicæ præter intentionem, quidem Babyloniorum, attamen singulari DEI providentia obtentus, quod per abductionem Judæorum sensus veræ Religionis ad exteros populos transierit, sicuti postea per excidium Hierosolymitanum secundum Christiana Religio magis diffusa, per ruinam Romani Imperii veteris Gentes victrices ad eandem conversæ fuerunt.

XVIII.

Mediis Christianorum seculis idem Nomen veluti resuscitatum & *Expeditionibus Cruciatis* pro recuperanda Terra Sancta datum tanquam pro causa DEI susceptis: Ex quo etiam in Concilio Clarimontano Pontifex M. Urbanus II. non tantum argumentum profectionis hujus sumsit, signumque militare constituit, *DEUS vult*, sed & quotquot se aggregaturi essent, hos voti, h. promissi DEO facti nomine devinxit, & in argumentum ejus cruce signavit: *Quicunque hujus sanctæ peregrinationis animum habuerit & DEO sponsionem inde fecerit, eique se litaturum hostiam vivam, sanctam, DEO placentem devoverit, signum Dominicæ Crucis in fronte sua sive in pectore præferat. Qui vero inde voti compos ingredi voluerit, inter scapulas retro ponat. Tales quippe bifaria operatione complebunt illud Domini præceptum, quod ipse jubet per Evangelium: Qui non bajulat Crucem suam & venit post me, non est me dignus.* Unde & *DEO militare, Bellatores DEI, Milites DEI*, passim dicti fuere. Vid. *Boamundi Orationem apud Robertum Histor. Hierosolym. Lib. II. f. 37. Gens DEI*, ibid. *Exercitus DEI viventis*, Chron. Hieros. Reinecc. *Lib. II. c. 2.* Vid. Scriptores Orientalium harum expeditionum uno volumine nomineqve *Gestorum DEI per Francos* exhibitos, *Reiner. Reinec. in Historia Hierosolymitana*, in Compendio *Mornæum Myster. Iniquitatis* & alios passim. Nos quod alibi jam tractavimus hic breviter repetimus, Expeditiones has nec juste, nec prudenter, nec pie institutas fuisse; Non juste, quia Saraceni non minori juris titulo Palæstinam tunc tenebant, quam antea Romani, neque Religio Christiana aut Sacrum Sepulchrum jus majus eis dare poterat ad hanc expeditionem, quam priscis Christianis daturum fuisset, si obtentu ejus Palæstinam Romanis extorquere voluissent.

Religio Christiana nulli loco aut Terræ parti alligata est, & loca illa, in quibus Christus dum in terra fuit, versatus fuit, non inconveniens quidem foret à Christianis teneri, sed ideo alii eripere velle, quia Christanus non sit, id nullo fundamento vel Sacro vel vitæ civilis nititur, Nec prudenter institutæ fuerunt, licet enim primum ictum non infeliciter inflixerint Christiani illi Bellatores, quia tamen conservatio locorum acquisitorum è remotioribus Europæ partibus, Galliæ inprimis & Germaniæ petenda erat, huic vero secuta tempora non æque responsura facile prævideri poterat, hinc diuturnam illam possessionem haut futuram una colligere erat. Denique nec pietati veræ convenerunt, quippe quam armis propagari fas non est, imo nec vera dici potest, quæ in externis tantum modo occupatur, qualis tamen horum itinerantium tota devotio fuit, satis ad gloriam DEI se contulisse ratorum, si terram à Filio ejus olim calcatam possessoribus suis auferrent ac sibi attribuerint. Breviter: Conveniens forsan si esset loca illa à Christianis teneri, quæ caput ipsorum in terris hisce calcavit, eo nomine tamen Bella geri nec sufficientem causam habet, quia non statim quod mihi conveniens est, id alteri per vim eripere licet; Nec fructum singularem parti bellanti afferre potest ob conservandi difficultatem. Et tamen nostro adhuc seculo non defuere ex Religiosis Pontificiis, qui dignam Bello publico materiam credidere, non Palæstinam, sed vel paucula semiruta Sacella in ea suo Ordini vindicari. Quomodo cum inter Articulos renovandi Fœderis Gallo-Turcici circa A. M DC LXV. de restitutione Sacrorum ejusmodi locorum Franciscanis facienda ageretur, Aula Turcica vero nullam ejus spem ostenderet, PP. Franciscani, referente Chardino, leguntur consuluisse Legato Gallico, ut abrupto colloquio, Regi Galliæ ad arma corripienda satis causæ ita præbitum minaretur: Wofern E. Excell. vom König gemessene Ordre, wegen Wieder-Ennehmung dieser heiligen Oerter bekommen / darneben aber dessen versichert ist / daß die Pforte nimmermehr darein condescendiren werde / so wollen wir demselben wohlmeinend dieses gerahten haben / daß Er beym Groß-Vizir nichts außzuwürcken bemühet seyn möge / ehe und bevor demselben mit dem ersten gewillfahret wordeu; Er gebe diesem Ober-Staats-Ministre kühnlich zuverstehen / daß er

sich

sich schlechterdings in keine Tractaten einzulassen entschlossen / bis er uns wieder darzu zu verhelffen versprochen / dessen wir von den Griechen de facto entsetzet worden. Wird E. Excell. diese Mesures klüglich zu nehmen wissen / so wird daher dieses erfolgen / daß der Vezir sich hierinnen entweder willfährig erweisen / oder mit Categorisch-abschlägiger Antwort derselben begegnen wird: Condescendiret er darein / so wird die gröste Schwerigkeit / so die Renovirung der Capitulation so weit zurück gesetzt / gäntzlich gehoben seyn / schlägt er aber dieses Petitum rund ab / so hat der König E. Excell. Durchl. Principal erhebliche Ursach es mit der Pforte zur Ruptur kommen zu lassen: Solches wird zu unsterblichem Ruhm dieses grossen Monarchen gedeyhen / Europa wird sich über den löblichen Eifer gegen GOtt und seine Kirche nicht genugsam bewundern können / und wird groß und klein die zu dem Höchsten tragende Devotion hoch zu preisen / und Derselben diese Ruptur mit der Pforte billig allein beyzumessen Ursach haben. Tanti nimirum videbatur Extraneis paucis, quinque vel sex Ecclesiolarum non aditum, quo nunquam prohibiti fuerant, sed custodiam vindicari, pulsis indigenis: Einen solchen Discours führeten damahls diese fromme Patres, worinnen sie dann den gewöhnlichen Eyfer der Hispanischen Ordens-Leute klärlich zu erkennen gaben / sie konten sich keine schönere Action auf der Welt einbilden / als wann man den Türcken zu Wasser und Land angreiffen würde / damit er nur den Hierosolymitanischen Christen seinen eigenen Unterthanen / als nemlich die Guarde fünf oder sechs kleiner Kirchen einziehen / und solche außländischen Religiosen anvertrauen möchte / weil sie damit nicht zufrieden / daß sie / wann und zu welcher Zeit es ihnen gefällig / hinein kommen könten / sondern auch noch darüber die Schlüssel an ihrer Gürtelstät führen wolten. *Chardin.* Reisebeschr. über *Colchid. f. 61. 62.*

XIX.

Ducimur ita ad Quæstionem non dissimilem: *An Bella contra Infideles propagandæ Religionis Christianæ causa licita sint*, seu ut Grotius eam proponit: *Quid de iis Armis sentiendum, quæ inferuntur populis aliquibus eam ob causam, quod illi Christianam Religionem sibi propositam amplecti nolint? J. B.* L. II. c. XX. §. XLIIX. Nam & hæc *Bella Sacra* subinde dici & militiam eis destinatam singularibus de iis o-

pinionibus occupari moris fuit, tanquam Religionis propagandæ causa institutam: Sic Henricus II. Rex Angliæ suscepto consilio Hiberniam invadendi *rogavit Papam Adrianum, ut sibi liceret Hiberniæ Insulam hostiliter intrare & Terram subjugare atque homines illos Bestiales ad fidem & viam reducere veritatis, extirpatis ibi plantariis vitiorum, ut Matth. Paris.* loquitur *in Henr. II. ad A. M. CLV. f. 79.* Et inter rationes occupandi Americam ante duo secula numerata fuit necessitas homines illos ad vitam politiorem & Religionem Christianam perducendi, de quo pluribus videndi Scriptores de Jure occupatæ ab Hispanis Americæ, quos ex parte adduximns *Hist. Civ. c. I. §. II. n. 7. f. 443. 444.* Quo obtentu etiam Ecclesia Romana adversus Hæreticos, quos ita dixit, sæpe usa: Ideo Bellum Philippi Pulchri contra Albigenses motum *Christi Prælia* vocat *Guillerm. Nangiac. Philipp. L. IIX. Ad proprios sumptus instructos rebus & armis Dans exemplum aliis* in Christi prælia *misit.* Innocentius III. insuper *Catholicos, qui Crucis assumpto charactere ad Hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudere jubet indulgentia, illoq; sancto privilegio munitos esse, quæ accedentibus in Terræ sanctæ subsidium conceduntur. C. excommunicamus. 13. de Hæret.* V. plur. *Gretser. de Cruc. T. III. L. II. c. 34. f. 2066.* Et nostro adhuc seculo Joh. de Aquila ab Hispaniæ Rege Hibernis Rebellibus Anno M DCI. in auxilium missus non tantum Titulum præ se tulit *Magistri Generalis & Ducis Regis Catholici in Dei Bello pro fide tenenda in Hibernia. Camden. Ann. Elis. ad A. M DCI. f. 830.* Sed & Scripto edito professus fuit se advenisse ut Hiberniam *à faucibus Diaboli* liberaret, *ibid. f. 831.* Sed Religio est actus Intellectus, adeoque per se vim omnem respuit: *Retinemus legisse, voluntarie sacrificandum esse Domino, non cujusquam cogentis Imperio: Quod qui aliter facere tentaverit, evidenter cœlestibus jussionibus obviavit,* scribit Theodadus Rex ad Justinianum Imperatorem apud *Cassiodor. L. X. Ep. XXVI.* Præterea talis est terrenarum possessionum conditio, ut justi Domini earum esse possint, licet vera Religione præditi non sint, sufficitque eas ita teneri, ut nec vi, nec clam, nec precario ab aliis acceptæ dici possint: Alia virtus moralis aut religiosa aut intellectus perfectio non requiritur. Nec magni momenti distinctionem esse autumamus, quam *Diana* affert *Tom. VII. Tract. VII. resol. XIV. & seq.* & quos ille ibidem citat: *Ob solam infidelitatem quidem*

dem non posse aliquem bellum indicere infidelibus, neque eos privare Dominio bonorum suorum, Ecclesiam tamen habere jus ad arma movenda in infideles, si vi & armis iter occludant prædicatoribus fidei: Nam (1) fi ad religionem nemo cogi potest, nec ad consilia contrariæ religionis capessenda vel capita ejus audienda cogi potest. (2) Jus armatum Ecclesiæ sive per se, sive per alium nullum est, veluti Regnum suum esse de hoc mundo negavit Christus h. ejus naturæ, cujus sunt cætera regna; addens. alioqui futurum fuisse, ut more aliorum Regum opera militum uteretur. Grot. J. B. II. XX. XIV. II. Valetque hic omnino quod *Acosta* urget ex Matth. X, *Si non receperint vos, exeuntes excutite pulverem pedum vestrorum in illos.* Non dixit: Stringite gladios vestros in illos, jacula evibrate: *de procur. Ind. Salute Libr. II. c. 2. f. 192.* Licet etiam haut dubie utile sit ad Christianam vel generaliter meliorem religionem aliquem perduci, non tamen si quid alicui est utile, id statim mihi licet ei per vim imponere: Nam his qui rationis usum habent libera esse debet utilium & inutilium electio, nisi alteri jus quoddam in eos quæ si tum sit. *Grot. J. B. & P. II. XXII. XII.* Conf. inprimis Cardinalis Cajetani sententiam de jure Belli adversus Americanos apud *Grot. M. Lib. cap. IV.*

XX.

Alia ratio *Bellorum Christianorum* hactenus *cum Turcis* & antea cum Mauris in Hispania gestorum, quæ *Bella Sacra* hoc saltim nomine dici non alienum erit, quia non offensiva, sed defensiva, adeoque non pro obtrudenda Infidelibus Religione Christiana, sed eadem conservanda in regionibus, quibus autem recepta fuerat, gesta fuere: Quem in finem & passim instituti Ordines Militares, ut *profectum in virtutibus facerent, adversus fidei hostes militarent, & gloriose pro Ecclesia ab illorum peste servanda, vitam periculis belli exponerent,* ut loquitur Andr. Mendo de Ord. militar. Disq. I. Q. I. n. 3. *nullove ex latere Ecclesiæ mœnia ac munimenta labefactari tentarentur, ubi præsto non essent validissimi milites, qui juxta hostilium qualitatem incursuum, orationibus, disputationibus, scriptis, armis, ipsiusque proprii sanguinis effusione, impetus propulsarent, & gloriosa de hostibus trophea reportarent,* ut idem ait n. 8. Religiosorum nomen quoque ob id meriti, tanquam *Dei obsequio & Ecclesiæ defensioni mancipati. Mendo Disqv. II. Qv. II. n. 22.*

Quales & in specie, qui *Equites Christi* olim vacati fuere in Anglia, Italia, Livonia, Polonia, quique hodienum *Ordinis Christi* nomine supersunt in Portugallia à Dionysio Rege instituti, de quibus V. *Mendo Disqv. I. Qv. XI. num. 194. & seq. 1. 2.* Ac licet Turcæ videantur eam in subjugatis locis eodem in statu relinquere, tolerantia tamen temporaria tantum est, nec sine gravibus incommodis Christianorum, quæque tandem in fœdam ignorantiam degenerat, de qua passim inveniuntur qverelæ apud Scriptores Rerum Turcicarum: Sie dulden die Christliche Religion / und gleichwie Sie wissen / daß man weder deß Menschen Willen / noch die Gewissen zwingen kan / also ist keine List und Versuchung / welche Sie nicht anwenden / damit Sie die Christen arm und verachtet / und ihnen das Leben sauer und elend machen; daß also die Duldung der Christlichen Religion ihnen vielmehr eine Straffe und Verfolgung / als eine Gnade und Gunst ist. Und giebt die Mahometische Religion wol zu / daß die Christen Kirchen und Gotteshäuser an denen Orten haben / wo selbige allbereits vor vielen Jahren gestanden seynd: Sie will aber nicht haben / daß man neue baue: die Christen können sie wohl im Dach und Fach erhalten / sie dürffen aber nichts hinzuthun: Und wann es geschicht / daß das Feuer oder ein ander Zufall die Gebäue umreisset / können sie keine andere stifften oder neue aufbauen. Dahero komts / daß die Christl. Kirchen / welche heute zu Tage in Türckey sind / mit der Zeit vergehen / wie es schon an vielen Orten geschehen. *Autor Stat. Turc. Lib. II. cap. II. fin.* Unde & nimis duram, Christianisve plane indignam vocem putamus esse, quæ superioribus temporibus subinde audita fuit: *Præstare Viennam Austriacorum perdi, quam Budam Hungarorum recuperari*, utpote natam (1) ex intempestivo studio consulendi Libertati Religionis, cum spes in Providentia Divina potius collocanda sit, quam in inconsultis ejusmodi contra Statum publicum votis. (2) Ex vana opinione periclitaturæ aliquando Libertatis Civilis; cum sub Turcis non tantum Servitus Civilis immineat, sed personalis metuenda sit. (3) Ipso exitu quoque, & longe majori metu imminentis ab occidente periculosioris servitutis damnatam. Sed nec melior est à rigidioribus Pontificiis sæpe audita: *Satius esse Regna perdi, quam Hæreticos in iis tolerari.* Est enim (1) contra Principia cognationis naturalis inter homines: Posito enim Hæreticos esse,

esse, quos ita vocant, Jurium Humanorum tamen ideo capaces esse non desinunt. (2) Nimis arrogans quoque præsumptio, ideo hominem jure suo ad nos nihil pertinente exuere velle, quia sententiæ nostræ accedere non vult. (3) Nec minus crudelis cum interitu integrorum & maximorum cœtuum hominum sententiæ suæ subjicere velle. Et (4) Infinitarum turbarum mater, cum nemo ferat, opinionis alicujus contra propria sensa animi sibi obtrudendæ causa, juribus suis vim inferri: Ideo & toties periclitatam fuisse Rempublicam, quoties mota fuerit Sacra hæc Anchora prudenter annotarunt Politici, quo sublevari potuissent homines, si mitius in proximos suos licet opinione diversos consulere voluissent. Denique (1) ipsis autoribus pernicioſa, quos una subjugari perdique oportet, si Regna cum Hæreticis ita dictis perdenda sint: Adeoque id ipsum, quod de quibusdam Græciæ populis Justinus dicit, *perire ipsos quam non perdere alterum præoptare, expertamque extranei crudelitatem pati, quam parcere hostibus suis malle. Histor. L. IIX. c. 4.* Ne dicamus partem adversam qvoque eodem jure locorum eversionem quam horum tolerantiam præoptare posse, quod palam est tranquillitatis propriæ munimenta convellere, quo nihil imprudentius. Non diffitendum tamen occasione Bellorum Turcicorum Rei Evangelicæ aliquando levamen accessisse, sed per accidens: Cum enim superiori seculo Cæsar jam immineret Germaniæ, *tacito DEI jussu à bello Germanico ad Turcicum avocabatur, Turcarum Imperatore illo ipso tempore in Hungariam & Germaniæ fines irruptionem faciente. Ita Canes lingunt ulcera Lazari, Turca mitigat Edictum Augustanum*, ut verba sunt *Sculteti Ann. ad MD XXXI. f. 346.* Sic cæso in Africa Sebastiano Rege Portugalliæ Philippus II. Rex Hispaniarum animum ab Anglia invadenda deflexit; *Nec adduci poterat ad Lusitaniam occupandam totus intentus, ut de Anglia cogitaret, etsi profugi Angli maximopere urgerent & Pontifex Romanus Cruciatam ad hoc, tanquam in Bellum Sacrum polliceretur.* Vid. plur. *Camden. Ann. Elisab. ad A. MD LXXIIX. fin.*

XXI.

Eadem in classe videbuntur etiam *Caravanæ* illæ *Christianorum Equitum Melitensium* adversus Turcas tanquam pro re Christiana susceptæ hodieque usitatæ collocandæ esse: Quas ideo etiam Expedi-

peditionum Sacrarum, certe Religiosarum nomine passim salutari videmus: Easque Rei Christiane salutares esse, utpote nullo non tempore ad Bellicam Societatem promptas dubium non est, nec abs re æquiparabuntur perpetuæ militiæ in veteri Imperio usitatæ, in hodierno variis consiliis expetitæ. At perpetuas illas excursiones etiam pacis cum Turcis tempore, salvo meliori judicio haut expedire opinamur, quippe 1. manantes quidem ex veteri illo principio, *cum Barbaris perpetuum Bellum esse*, sed cum grano salis accipiendo; Id enim incertam quidem cum iis pacem, eoque nunquam armis adversus eos imparatos esse oportere significat, cum fidem pactorum nonnisi ex commodis suis æstiment, sed non ideo jus dat, ut pacatis sine causa continuo arma inferantur: (2) Fine quoque carent, cum impares sint Bello adversus Turcicum Imperium sustinendo, nec nisi privatis damnum inferant, statui publico neutiquam. At è contrario (3) subinde majoribus malis causam, Belloque aliis inferendo occasionem præbuere, quod exemplo Reip. Venetæ A. M. DCXLV. visum, (4) Exemplo etiam nocuere, ex illoenim tempore Piraticæ invasiones Algerienſium, Tunitanorum, Tripolitanorum, Saleensium in naves Christianorum crebriores esse cœperunt, quia quod jus Melitensibus in Turcas datum, id sibi quoque in Christianos competere autumant.

XXII.

At è contrario Turcæ non minori persvasione Religionem vi externa & armis propagandi Bella sua quoque adversus Christianos Pietatis ac Religionis colore tegere amant: Ideo non tantum in meritum ac martyrium vertunt, si quis in iis occubuerit: Halten davor/ daß deren Seelen die in dem Krieg wieder Christen umbkommen/ unmittelbahrer Weise in das Paradieß aufgehoben werden/ wann Sie schon zuvor nichts gethan/ das ihrem Gesetz gemäß. Plane ad eum modum, quo Leo IV. Pontifex ad Exercitum Francorum circa A. DCCCXLIX. scripsisse legitur: *Quisquis in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit; regna illi cœlestia minime negabuntur. Can. 46. C. 23. Qu. 5.* Sed & jus sibi datum autumant repugnantes sine discrimine libere invadendi & exscindendi, non aliquo sensu veritatis, aut pietatis studio, sed mero odio Christianorum & quorum-

rumcunque dissentientium, quod sufficere opinantur. Quo facit, quod in Alcorano, Capite Præliorum jubetur, & à Turcis legitur, quoties prælio se accingunt: Wann ihr mit Ungläubigen zu thun habt / so tödtet Sie / schlaget Sie / nehmet Sie gefangen / bindet und leget Sie an Ketten / biß es euch gut dünckt / daß ihr Sie wieder frey lasset / oder daß Sie euch Lößgeld bezahlen / prout refertur ab eodem Autore *Stat. Turc. L. II. c. 2.* æque ac Sennacherib olim Bellum Domini mentitus: *Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi; Ascende ad terram hanc & demolire eam. II. Reg. XIIX. 25.* Eaque opinio non tantum in Bellis publicis locum habet, sed & privatorum quorundam animos adeo occupavit, ut satis juris sibi esse censeant, imo in devotionis peculiaris argumento habeant, obvium quemvis licet innocentem, sternere, ideo solum quia sectæ suæ non est: Quos etiam furore ejusmodi occisos alii tanquam sanctos venerantur eorumque sepulchra singulari honore prosequuntur. Tavernerius impetus hosce *Moqua* dici refert, ac se ipsum fratremque suum Bataviæ ab ejusmodi furente petitos feliciter evasisse, autoremque proprio interitu temeritatis suæ pœnam luisse, alium eodem inloco XVII. Nautas Belgicos letaliter vulnerasse tandemque glande percussum cecidisse *Itin. P. II. L. III. c. 24.* Trieb ein Moqua / welches in ihrer Sprache so viel ist / daß wann einer von den gemeinen Mahometanern / der aus Mecka zurück gekommen / sein Cric / eine Art von Dolchen mit halb vergiffteten Klingen in die Hand nimmt / so lange durch die Gassen läufft / und alle / so nicht Mahometaner sind / ersticht / biß er selbst getödtet wird: Diese tolle Leute gedencken ihrem Gott und Mahomet einen Dienst zu thun / wenn sie die / so ihren Gesetzen nicht zugethan / umbbringen / und daß Sie hierdurch die Seligkeit verdienen: So bald ihnen vom Leben geholffen / begraben Sie die Mahometaner als Heilige / und ein jeder leget etwas dazu / daß Sie wohl zur Erden bestattet werden; prout verba in Germanica versione se habent. Cujusmodi actus fere etiam est, qui apud Gentiles in Regnis Tanguth & Barantula hodieque occurrit, ubi puero cuidam Dæmoniaco *Buth* dicto, stato tempore tanquam divinitus incitato facultas datur obvios pro lubitu sternendi cum hoc tantum discrimine, quod confossos in hoc actu non odio, sed amore Deastri

astri sui dignos judicari eoque in cœlum evehi existiment: Cujus Circumstantiæ tales leguntur apud *Kircher. Chin. Illustr. p. II. c. IV. f. 79. Puerum eligunt viribus robustum, cui potestatem dant, ut constitutis diebus anni, quemcunque obvium habuerint hominem cujuscunque sexus & ætatis, nullo respectu aut discrimine habito, armis, quibus instruitur, conficiat; hoc enim pacto interfectos, mox veluti à Menipe Deastra quam colunt consecratos, æternos honores & felicissimum statum consequi, stolide & amenter sibi persvadent. Puer mire variegato amictu, gladio, pharetra, sagittisque instructus, nec non vexillorum trophæis aggravatus, constituto tempore à dæmone, cui consecratus dicitur, obsessus, maxima furia domo elapsus per compita & plateas divagatur, omnes sibi obvios, nulla resistentia facta, pro lubitu interficit; hunc patria lingua Buth, quod interfectorem significat, vocant, unde Patres eum eo prorsus modo, quo ipsi, dum eodem tempore ibi morarentur, viderant, depinxerunt.*

XXIII.

Denique & ex Veteri Historia profana Bellum illud adversus Phocenses, hic partem faciet, qui cum Templum Apollinis Delphici *occupassent communi quidem execrationi*, à Thebanis vero & Thessalis insuper Duce Philippo Macedoniæ Rege Bello petiti fuere, qui *quasi Sacrilegii, non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jubet, atque ita veluti Deo duce, in prælium pergit:* Et *Phocenses insignibus Dei conspectis, conscientia delictorum territi abjectis armis fugam capessunt, pœnasq; violatæ religionis sanguine & cædibus suis pendunt; Philippo* vero *incredibile quantum ea res apud omnes nationes gloriæ dedit: Illum vindicem Sacrilegii, illum ultorem religionum, quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exigeret extitisse dignum. Itaque à Diis proximus habetur, per quem Deorum majestas vindicata sit. Justin. L. IIX. c. 2.* Hinc igitur *Bellum Sacrum* dictum, ὁ κληθεὶς ἱερὸς πόλεμος. *Diod. Sic. L. XVI. f. 522.* πόλεμος ὁ ἱερὸς ὀνομασθεὶς *Pausan. Arcad. f. 529. Messen. f. 138.* & juxta explicationem nostram πόλεμος ὑπὲρ Θεοῦ, *Bellum pro Deo, Diod. Sic. ib. f. 525.* Quod tamen temere crediderunt esse βοηθεῖν τῷ Θεῷ *Deo subvenire*; Deus enim utpote potentissimus auxiliis Hominum non eget. An Qualitate Belli Sacri participaverit quæri possit, cum in causa non veri DEI, sed Idoli susceptum fuerit? Quod tamen Affirmandum videtur, non intuitu Deastri illius, qui certe sacerrimus fuit, sed prorsus contra-

trario sensu, quo Bellum Sacrum hic vocamus; Sed ob causam Sacram, Sacrilegium nempe, quod licet in Idolum perpetratum fuerit, quia tamen tanquam in Deum, facinus illud in veri Dei ignominiam cessit: Æque ac perjuria in falsos Deos commissa verus Deus in suam injuriam interpretatur, quia pejerantes qvanqvam sub falsis verbis, generali tamen complexione Numen intuentur. Grot. J. B. L. II. c. XIII. §. XII. Valetqve proinde hic quod Seneca alias ait: *Opinio illum suæ pœnæ alligat.* Benef. L. VII. c. 7. Cujus sensu etiam affectus Philomelus Dux Phocensium apud Græciæ insigniores urbes factum excusavit: *Delphos à se occupatos, non quod Sacris opibus insidias tendat, sed ut fani patrocinium popularibus suis vindicet. Rationem etiam pecuniæ cunctis Græcis reddere; pondusq; ac numerum donorum recensere, quisquis id exegerit paratum se esse.* Diod. Sic. c. I. f. 524. fin.

CAP. II.

DE BELLIS DOMINI INTELLECTUALIBUS.

I. *De Usu vocis, ejusq; sensu.*
II. *An licitum sit hoc Bellandi genus? Explicatio Paulini dicti,* Oportet esse hæreses: *An studium controversiarum Theologis vitio vertendum? Cur* numero majori *sint?*
III. *Jus in iis versandi cui competat?*
IV. *Colloquia publica imaginem Bellorum Solennium sustinere: Eorum fructus.*
V. Quæ à singulis fiunt, *totis cœtibus non imputanda.*
VI. *Cur jus hoc non omnibus æque permittendum?*
VII. *Non de quavis re controvertendum: Quarum præcipua* controversiarum necessitas *sit?*
IIX. *Utramq; partem* bona fide *controversari posse.*
IX. *Quis pro* Autore Disfidii *habendus? An Carolstadius, Zwinglius, Oecolampadius Autores Dissidii Sacramentarii?*
X. Verborum Strepitus, Clamantes *in Disputationibus Sacris.*

XI. *Quid de* Præjudiciis Theologicis, *& quænam talia dicenda?*
XII. Calumniarum *cum Armis venenatis comparatio.*
XIII. *Convitia an Spiritus S. exemplo, aut Spiritu Heroico excusari possint?*
XIV. *Ratio argumenta* ad genium partis adversæ *formandi, comparatio cum Repressaliis:* Aculeati loquendi modi.
XV. Fervoris *in disputando incommoda? unde Flacii error de Peccato originali?*
XVI. Doli mali *in hoc Bellandi genere: Simulatio communis Professionis, Generales & ambiguæ Formulæ, Lacrymæ, Blanditiæ.*
XVII. *Mutilationes, detorsiones verborum Partis adversæ, Lutheri, Synodi Dordracenæ, Heidelbergensium ea de re querelæ?*
XVIII. Dolorum Bonorum *usus & Exempla.*
XIX. *Cur Disputationes aliquando declinandæ sint?* Cur Protestantes Concilio Tridentino abstinuerint?
XX. *Hostes communes, speciales qui sint? Inconsulta extensio Hæreticorum Nominis.*
XXI. *Fœderati Partis adversæ, Quinam* Papissare, Socinianisare *dicendi?* An Anglia Lutheranisset?
XXII. *An* mediis *esse liceat in Sacris Controversiis? Judicium Evangelicorum Superioris Seculi de Religione Interimistica. Quid de Neutralismo, Indifferentismo in Religione?*
XXIII. *Effecta controversiarum an* ad Condemnationem *extendenda.*
XXIV. *Censura* Hæreticidii: *Calvini ea de re sententiæ: Vanæ Arminianorum querelæ de vi sibi in Belgio illata.*
XXV. *Exitus Disputationum Sacrarum: Quis pro Victore habendus?*
XXVI. *Quomodo ad pacem eundum? Pax Infida pariter ac in humanis negotiis Bello deterior.*
XXVII. *Pacem plenam optari, Imperfectam in Terris his obtineri posse.*

I.

SEquitur alterum Genus *Bellorum Domini*, in causa Dei & pro ea, divino etiam auspicio æque susceptorum, non tamen Armis corporalibus, sed viribus animi, quæ ideo & *Bella Intellectualia* vocanda, & in lucta mentium consistere notavimus *præced. cap. I. §. 2.* Communius *Bella Spiritualia* dicta, & qui in iis occupantur *Milites Christi*, non eo sensu, quo *Equites Christi* præced Cap. I. §. 19.

§. 19. adduximus; non enim armis terrenis hic opus est, sed intellectu ejusque viribus, *Induite Armaturam Dei, ut positis stare adversus insidias Diaboli. Eph. VI. 11.* Talesque proinde, quales Nicolaus P.M. describit in dehortatione ad Ludovicum & Carolum Reges, ne Episcopi occupentur militaribus negotiis: *cum* Militum Christi *sit Christo servire: Militum vero Seculi Seculo; secundum quod scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Quod si Seculi milites seculari militiæ student! quid ad Episcopos &* Milites Christi, *nisi ut vacent orationibus. Can. 16. c. 23. Q. 8.* Quodque iterum Bella hæc non unius modi sint, sed vel ad cognitionem Dei doctrinamque de eo, vel ad cultum ejusdem tendant, ideo operam nostram de novo partiemur & primo de controversiis in Doctrina, quæ *Bella Intellectualia in specie* à nobis vocabuntur, deinde de iis, quæ ad honorem cultumque Dei vita exprimendum faciunt, *Bellaque Moralia* dicentur, agemus: Eruntque proinde hoc sensu *Bella Domini omnes de rebus Divinis ac Religione, Controversiæ eumque in finem institutæ Disputationes & Colloquia:* Cum hoc tantum discrimine, quod sicuti in Humanis Bellorum nomine, generaliter quidem omnia etiam privata certamina comprehenduntur, ea tamen proprie Bella dicamus, quæ autoritate publica, adeoque inter Principes aut Respp. in causis publicis geruntur, ita Bella nostra quoque illa præcipue dicentur, quæ non de quavis materia, sed publica & totos cœtus concernente, nec à quibus privatis, sed Ecclesiis aut qui earum nomine agunt, geruntur. Quomodo & Patrum nostrorum memoria: *è Pontificiis Caspar Northusius Sacrorum Certaminum tres Libros de vera Ecclesia scripsit, è Reformatis Chamierus Panstratiam Catholicam* suam *Milchamot Jehovah, Bella Domini* vocavit. Recentissime B. Pufendorffius *Jus Feciale Divinum* edidit, incertum an secundum omnia Regularum Juris Fecialis, & utrum concordiæ an majorum litium causa: Alii similibus loquendi modis pasim usi. Versabimurque jam in eo, ut dum natura Belli participant, vel ut Gregorius I. non ineleganter dicit, *Bella Carnalia figuram Bellorum Spiritualium gerunt, Can. 1. C. 23. Q. 1.* ex Legibus Bellicis etiam rationem modumque in iis procedendi demonstremus, aut saltem demonstrari posse exemplis nonnullis indicemus: Nec minus id convenire autumamus, quam alias Logicis licet ex legibus Methodi artem Disputandi ostendere, vel JCtis ex doctrina Processus lites instruere, earumq; ordinem formare.

II.

Sicuti autem de Bellis Corporalibus primo quæri solet, an licite gerantur, ita in præsenti mareria quoque prima erit quæstio πῶς ὁτι, & in ea non adeo an existant Controversiæ Sacræ, quod nimis notum est, sed quod partem πῶς ὅτι constituit, *an licitæ sint*, eoque *an fas sit eas agitare?* Ubi quidem extra dubium est, sicut alias in terrestribus Bellis, ita in hisce Intellectualibus etiam neminem fore, quin pacem malit, quam Bellum, immo etiam sicut itidem de terrestibus Bellis dici solet, *Si omnes homines essent Christiani & Christiane viverent, non fore bellum*, ita hic quoque, si omnes homines Doctrinam de Deo & Filio ejus Jesu Christo recte apprehenderent, non fore controversias: Quia tamen Intellectus Humani in omnibus eadem vis non est, ideo nec omnium idem de rebus Sacris judicium esse potest, eoque Diversitatem opinionum, iisque propalatis controversias nasci oportuit. Accedunt respectus externi, studium doctrinam semel propositam retinendi, ad confessionem errorum enim æque ac injuriarum nemo facile venit; eoque gloriæ, principatusque ambitio, ne quid dicamus de temporalibus commodis quibus moti homines sæpe doctrinam jactant, quam ex vera animi sententia alias nunquam professuri essent. Hinc itaque diversæ sententiæ dogmatumque disidia, eademque ab autoribus ad integros cœtus, prout unicuique visum fuit uni alterive se associare, transmissa: Quæ veluti rebus sic stantibus evitari non potuerunt, nec in posterum poterunt, ita una agnoscenda Divinæ Providentiæ hac in re sapiens ordinatio: Nam quod alias de diuturnis illis disfidiis seu ut vulgo loquuntur Antipathia Nationum Cominæus judicat, esse tanquam cotes ingeniorum, quibus segnescens alias Industria humana acuitur, & quod *Jud. III. 1.* legimus, *reliquisse DEUM* vel ut in Versione LXX. legitur, *Josuam gentes, ut erudiret in eis Israelem & postea discerent filii eorum certare cum hostibus & habere consvetudinem præliandi*, h. ne in otio marcescerent & una in fide probarentur, seu ut Abbas Daniel apud Cassianum loquitur *Collat. IV. cap. 6. ut dum Israel gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, nunquam se sentiret auxilio Domini non egere, & ob id semper in ejus meditatione & invocatione persistens, nec inertia solveretur, nec bellandi usum & exercitia virtutis amitteret*: Id in præsenti

eti-

etiam locum inveniet, divinitus nempe permitti, ut sparsis ejusmodi Disfidiis homines veritati indagandæ eo magis incumbant: Seu ut Paulus loquitur *1. Corinth. XI. 19. Oportet Hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis*: Divina nimirum providentia, pravam illam animorum dispositionem ita dirigente, ut probi ab improbis fideles ab Hypocritis secernantur, atque adeo casus hosce in gloriam suam vertente. Quod ideo & vocem non *συμβουλεύοντος, ἀλλὰ τὸ μέλλον προλέγοντος, suadentis, sed quid futurum sit prædicentis* Chrysostomus scribit, particulam ἵνα quoque notam non *αἰτιολογίας, ἀλλὰ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως* causalem, *sed eventus* esse scribit, ad eum modum quo Joh. IX. 39, *In hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.* Et Rom. V. 20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*, ὅτι γὰρ ἄλλη τίς ἐστιν αἰτία τῶν αἱρέσεων ἢ ἡ διὰ τοῦτο ἐγένοντο αἱρέσεις, ἵνα ἡ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται, ἀλλ' ἑτέρωθεν ἔλαβον τὰς προφάσεις, *alia namq; est causa hæresium, neque ideo nascuntur hæreses, quia probi manifestari debent, sed aliunde accipiunt titulos; Ast DEUS perversitatem hanc arcano suo consilio sic attemperat ut in bonum finem cedant.* Orat. in h. l. LIV. *Tom. V. Oper. f. 362. & 363.* Vane à profanis rerum Sacrarum contemtoribus objicitur, (I.) *Theologos tantum alere controversias, horumve inventa esse*; Faciunt enim qvod sui est officii, honorique Divino invigilant, non majori vitio, qvam JCti per disceptationes suas injustitiæ obstacula ponunt, aut Medici invalescentibus morbis se opponunt, aut Metallici aurum à Scoriis purgant, aut ipsi deniqve milites in Bellis humanis, qvi ideo qvalitatem illam induunt, ut vim imminentem à Republ. amoliantur. (II.) *Ad rationem fidei non requiri repugnantes ei errores scire.* Resp. (1.) oportere tamen una adversus errores munitam esse, *Ne videamur DEI jacturam facere, immo per protapsionem nostram DEUM, qui nos pro divitiis habet, & divites reddit, damno afficere*, ut Gregor. Naz. loqvitur *Or. I. de Pace c. 28.* Neqve magis à Christiano curam hanc negligi posse, qvam in nauta indaginem scopulorum & syrtium in mari latentium. (2.) Studium controversiarum per se non appeti, sed pro solidiore cognitione Religionis Christianæ, sicut in rebus humanis per se nemo cognitionem vulnerum aut morborum appetit, sed pro instauranda vel confirmanda sanitate humana: Ut proinde etiam nihil magis proficere videantur,

antur, qvi controversias in Theologicis posthabent, qvam qvi in vita humana Medicinam vel alia remedia imperfectionum ideo se contemnere posse putant, qvod cognitio corporis sani & perfecti sufficiat, cum hæc qvidem sufficere posset in statu perfecto hominis, sed non in præsenti, qvo remedia adversus imperfectiones una sciri oportet. (III.) *Nimis excrevisse Controversiarum numerum primisq; saltem temporibus pauciores fuisse controversias.* Resp. 1. Numerum etiam Christianorum, adeoqve pro veritate contendentium illo tempore minorem, nunc majorem esse & indies crescere, maxime cum numerus Christianorum non ille tantum æstimandus sit, qvi olim fuerit, vel qvi etiam nunc est, sed una comprehendendi sint omnes, qvi unqvam vixerunt, qvi licet in hisce terris non amplius extent, in Scriptis tamen eorum cogitata adhuc supersunt: Valebitqve de Studiis Theologicis non minus, qvam Philosophicis, qvod in Sacris legitur: *Multi transibunt & augebitur scientia.* Ne dicamus 2. Multitudinem, opinione magis, qvam rei veritate constare, cum non paucæ veteres deferbuerint, & multæ è recentibus non novæ, sed ipsæmet veteres, novo tantum colore fucatæ existant à veteribus qvoqve satis superqve excussæ. Interim temperamento hac in re opus esse non diffitemur, de qvo paulo post verba qvædam facienda erunt.

III.

Proximum hinc est, ut qvia Bella hæc Sacra licita esse vidimus, nunc eriam *cui ea gerere liceat* dispiciamus. Qva qvidem in re discrimen aliqvod inter Bella Terrena & Sacra nostra intercedere videbitur: Nam in Terrenis recepto axiomate Bellum incipit, ubi Justitia deficit, eoque Jus Bellandi non competit, nisi Supremam Potestatem habentibus, quia neminem habent, à quo jus ipsis reddi possit, privatis neutiquam, quia Superiorem habent, quem implorent. At in Controversiis Sacris, quia unicuique Christiano incumbit pro se rationem fidei Supremo Domino suo reddere, ac præterea visibilis Judex nullus est, in cujus sententia acquiescere possimus: Nam quem Ecclesia Romana agnoscit Judicem controversiarum, Pontifex Rom. & autoritate constituentis DEI & qualitate Judicis hujusmodi deficit, cum neminem obligare in conscientia possit, ad id pro vero amplectendum, quod pro tali ha-

haberi jubet: Ideo singulis videtur relinquendum esse, ut quam optime possint, sibi consulant, eoque causam suam stabiliant, & adversus vim contrariam tueantur. Quia tamen pleræque Controversiæ integras occupant Ecclesias, quarum singuli se membra profitentur, Ecclesiæ quoque utpote cœtus majores aptiores sunt ad vim sustinendam, ac privati denique non æquas semper ad Bellum vires afferunt, convenientius erit his præcipue & qui ab iis potestatem demandatam habent, hanc facultatem relinqui, aut si singulis ea opus sit, saltem sub ipsarum directione eandem concedi, ad vitandam confusionem & ut de causa certius constet, quam privati Disputationibus suis non minus vulnerare, possunt, quam Milites sæpe causam Bellorum Terrenorum inconsultis præliis.

IV.

Hinc itaque & laudabile illud Consilium natum per *Colloquia publica* controversias tractandi, optimum sane eoque crebrius susceptum, ut omnibus de vero sensu rei controversæ constet: Qualia fuere de causa Evangelicorum cum Pontificiis *Colloquium Lipsiense. Ratisbonense duplex, Wormatiense, Possiacenum, Fontisbellaquense, Bernense, Badense, Tiranense, Giessense, &c.* Inter Lutheranos & Reformatos *Colloquium Marpurgense, Montisbelgartense, Hertzbergense, Chepregiense, Lipsiense*, quibus licet exitus speratus non semper responderit, nam extra Colloqvium Tigurinum A. MDXXIII. inter Zvvinglium & Pontificios institutum, cuius acta vid. *Tom. II. oper. Zvinglii f. 608. & seqv.* & Bernense A. MDXXVIII. inter eosdem institutum, de quo nostro seculo singulari volumine egit, *Christophorus Luthardus*, (quæ ambo eximium illum fructum secutæ Reformationis Ecclesiasticæ tulerunt,) pauca fuere, quæ dignum aliquem & votis publicis respondentem eventum habuerunt, iisdem tamen factum, ut plenius de partis utriusque sententia constiterit, benigniusque subinde pars contraria de Doctrina controversa sentire cœperit; Quem fructum inprimis Colloquii Charitativi Thorunienſis fuisse, Theologi Evangelici qui ei interfuere annotarunt; Acciditqve proinde hic, quod in Bellis humanis quoque evenire videmus, quæ licet Prælio commisso non statim finiantur, bellantium vires tamen per prælia inte-

teſcunt & veluti in conſpectum producuntur. Atque adeo hæc demum Vera. *Bella Domini Solemniaque* erunt: Cætera licet in publico fiant, & de communi cauſa agant, attamen tanquam *minus ſolemnia*, & pro re nata velitationum & excurſuum inſtar in Bellis habebuntur.

V.

Ex eadem ratione & Doctrinas Controverſas ex Scriptis Univerſalibus nomine totius Eccleſiæ emiſſis vel ab eadem approbatis æſtimandas paſſim urgeri, privatis è contrario effecta publica abnegari videmus, ipſa regula æquitatis exigente, ut non ſingulorum adeo quam cœtuum habeatur ratio, quodqve univerſos ſpectat, ut ex eo quoque dijudicetur, quod nomine omnium actum eſt. Sic obteſtatur Synodus Dordracena *quotquot nomen Servatoris pie invocant, ut de Eccleſiarum Reformatarum fide, non ex coacervatis hinc inde calumniis, vel etiam privatis nonnullorum, tum veterum, tum recentium Doctorum dictis, ſæpe etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, & in alienum ſenſum detortis, ſed ex publicis ipſarum Eccleſiarum Confeſſionibus, & ex hac orthodoxæ Doctrinæ declaratione, unanimi omnium & ſingulorum totius Synodi membrorum conſenſu firmata judicent.* Itaque & ſiquæ incommoda ſententia ſubinde à membro quodam Cœtuum ejusmodi prodatur, ea non ideo toti Eccleſiæ imputanda, æque ac in civilibus communitas non tenetur ex facto ſingulorum, ſine facto ſuo aut omiſſione, *Grot. J. B. II. XXI. II.* locumque hic quam maxime invenit, quod Zeno pro Magnetibus ſuis allegavit: *Ne unius amentiam Civitati aſſignarent, ſuo quemque periculo facere.* Liv. L. XXXV. c. 31. Vel etiam quod de infelici ſponſione ſua Spurius Poſtumius cenſuit; *Injuſſu Populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod Populum teneat.*

VI.

Dantur præterea ſpeciales rationes, cur licet jus Armorum hujusmodi nulli Chriſtiano ſimpliciter denegari poſſit, à jure iisdem utendi tamen non paucos arceri oporteat. Habet ſe namque hic, ut cum Dominiis temporalibus, quorum jure licet nemo fraudare poſſit, uſum tamen & exercitium non habent, qui imbecilliori intellectu ſunt, vel alias impeditum habent, quia

quia res non in usum vel suum vel aliorum versuri, sed potius perdituri essent. Similiter ergo in Sacris Controversiis, quia non omnes parem animi vim habent, aut siquam habent, bene collocant, easdem à quibusdam promiscue tractari hautquaquam expedit, quia (1.) propter imbecillitatem judicii haut pro dignitate materiæ de iis agere, nec (2.) propter pravam animi dispositionem fructum aliquem convenientem ex iis elicere possunt: Facitque huc, quod de Principium negotiis Politici passim notant, hautquaquam è dignitate ipsorum esse, ea privatorum judiciis exponi, quippe quæ nec capiant nec expendant satis: Seu uti Autor rationum non emissæ Deductionis alicujus pro Jure Succesionis Juliaco-Clivensis à Serenissima Aula Electorali Brandenburgica, sapienter olim scripsit, quod alio loco quoque à nobis citatum fuit: Dahin können Ihro Churfürl. Gnaden nunmehr schliessen/ daß das grossen Herren reputirlich seyn solle/ wann der gemeine Pöbel/ Krahmer/ Handwercker/ ja offters Bauren aufm Dorffe/ die aus Vorwitz zu neuen Zeitungen dergleichen Deductiones zum weit gröstẽ Theil auf kauffen/ und dieselben/ gleich wie die Nonnen den Psalter lesen/ und kaum zum zehenden Theil recht einnehmen/ weniger aber andere hierunter mit einlauffende der Sachen vornehme Umbstände zu erwegen/ oder zu unterscheiden wissen/ alsdann wann sie Bier und Wein beredt gemacht/ in ihren Zechen und Zusammenkünften/ solches der grossen Herren deducirtes Recht herfürziehen/ examiniren/ und dermassen viel hiervon zu plaudern wissen/ daß dem/ so es anhört/ die Ohren hiervon wehe thun müssen. Tanto minus ergo in causa DEI utpote longe sublimiori id licebit, quam irreverenter tractat, quisquis imperite ad ejus propugnationem surgit. Quæ ipsa quoque *Gregor. Nazianz.* sententia *Orat. XXXIII. c 10. Non cujusvis est de DEO disserere, neque adeò vilis ac protrita hæc res est & eorum qui humi adhuc repunt; Addam etiam non cujusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore, & apud certos homines, & aliquousque hoc faciendum est.* Et ut Fulgentius loquitur: *Non omnes qui Christi participes sunt, etiam respondendo possunt defensare quod credunt, sed etiam illa pars est profecto victoriæ, ut quamdiu quis sermone non potest defendere veritatem, fideli tamen corde devitet errorem.* L. de Fide Orthodox. f. 131.

VII.

Quia vero nec ob quasvis causas in rebus humanis ad Bellum eundum est, sed ob eas demum, quæ inevitabilem necessitatem in se habent, quemadmodum & tota Juris Bellici ratio in eo recumbit, quod cum jure nostro aliter potiri non possimus, idem vi & armis quæri oporteat: Ideo & Arma Sacra non statim expedienda, licet alterum non eandem nobiscum sententiam profiteri videamus, sed tunc demum, quando necessitas id efflagitare censetur. At quænam illa necessitas sit, quæ ad Bellum adigat, id vero præcipue dispiciendum, fatemurque hic forsan etiam locum inventurum, quod alias Gentilium nonnemo de Divinis dixit: *Facilius dici, quid non sint, quam quid sint*; Nam sicuti nemo gratis malus esse, sic nemo quoque temere litigare videri vult: Unde nulla ferme secta est, quin dum de veritate Doctrinarum suarum disputat, earum necessitatem una elevet, pars adversa vero eandem extenuet. Sociniani negant necessitatem dogmatis de SS. Trinitate, Græci Doctrinæ de processione Spiritus S. à Filio: Alii contra necessitatem qualiumcunque dogmatum suorum urgent & quam ipsi non possunt, in consequentiis exaggerant. Siquid igitur dicendum, periculum erroris præcipue adducendum veniet, adeo ut quo majus illud est, eo magis necessarium quoque Bellum futurum, quo minus, eo minus Bello opus esse censeri possit: Sicut ad Bella terrena quoque non quævis læsio sufficit, sed enormissima requiritur; Minor læsio ubi est, pro re nata repressaliis utimur, sæpe etiam quæ facta sunt modesta dissimulatione transmittuntur. Periculi magnitudo vero non ex qualibet exaggeratione, aut quovis colore æstimanda, sed ex manifesta repugnantia cum Religione Christiana, sicuti manifesto injusta vocamus non quævis peccata excusabilia, sed quæ sponte & non disputatione JCtorum se produnt; Et in Belli causis adducendis non quævis sufficiunt, sed claras & evidentes esse oportet, ut totum quasi genus humanum de justitia causæ possit cognoscere. Sic Socinianorum Dogmata pro damnosis habemus, quia negata SS. Trinitate universa Religio Christiana collabitur, nec quicquam reliqvum habet, uam politiorem quandam Doctrinam morum. Pontificia Re-

li-

ligio Irreconciliabilis, ob infallibilitatem soli Papæ quidem attamen homini assertam, Missæ Sacrificium, & ss. In aliis Sectis ubi periculum erroris minus est, pro veritate quidem identidem certandum, minori tamen conflictus genere, sicut & *Bella* qvædam *Imperfecta* habemus, quæ non omne commercium respuunt, sed ratione certorum actuum tantum jus sibi reddi poscunt. Sed nec Bella humana ejusmodi limites semper ferunt, & necessitatem quisque quam sibi fingit, licet exiguam ac sæpe nullam, maximam causatur. Quid mirum ergo, si in rebus Sacris quoque animi sæpe abripiantur & honos Divinus, æternaque salus ex conscientia quidem, sed non secundum scientiam in rebus non necessariis quæratur.

VIII.

An Bellum utrinque justum esse possit à Grotio disputatum *J. B. & P. II. XXIII. XIII.* missisque variis significatis Justi acceptamus, *Justum* generali acceptione dici solere, *quod omni culpa agentis vacat:* Sicque fieri omnino posse autumat, ut neuter Bellantium injuste agat, injuste enim agit nemo, nisi qui & scit se rem injustam agere, multi autem id non sciunt: Æque ac juste etiam, id est bona fide litigari utrinque potest; Multa enim & in jure & in facto, unde jus oritur, fugere homines solent. Quæ instituto nostro si applicanda sunt, fatendum quidem erit, controversias Sacras pariter ac humanas unam simplicemque veritatem habere, adeoque penes unam partium tantum remanere, quia facultas moralis ad contraria puta ad agendum & ad impediendum non datur per rei ipsius naturam, ut *Grotius* loquitur *eod. loc. n. 2.* Interim nec diffitendum, utrinque posse bona fide litigari, utraque parte pro veritate sine dolo contendente, ejusque possessionem sibi vindicante. Talis illa veterum excusatio pro suspectis quibusdam hæreseos nomine: *Errant sed bono animo errant, non odio sed affectu DEI, honorare se Dominum atque amare credentes,* apud *Salvianam Libr. V.* Et quæ proxime antecedunt; *In tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament: Quod ergo illi nobis sunt & hoc nos illis. Nos illos injurias divinæ generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant; Illi nos injurios Patri existimant, quod æquales esse credamus, Veritas apud nos est, sed*

illi apud se esse præsumunt. Πόρισμα quod hinc sequitur, de ἀνομία Condemnationum per se elucet, de quo tamen *seqv.* §. XXIII. nos commodius dicturos rati sumus.

XI.

Solet etiam in Bellis Terrennis *de Autore Belli* quæri, quis pro eo habendus sit, indeque natura Bellorum Offensivorum, ac Defensivorum æstimari, præcipue cum Defensivorum causa plerumque favorabilior esse judicetur. Quodque non quemvis, qui jus suum prosequitur, statim pro autore haberi fas sit, sed illum, qui vim primo infert, ideo in Certaminibus Sacris etiam non eum talem vocabimus, qui sententiam alit alteri contrariam; Non enim statim certandum est, licet idem non omnes sentiant, differuntque magnopere autorem Sententiæ alicujus esse, & autorem dissidii ex prolata sententia nati, sicut in Bellis humanis quoque aliud est autorem Juris esse, aliud autorem certaminis ex Jure nati: Sed illum demum, qui propositæ sententiæ vim opponit. h. contrariis argumentis sibi oppugnandam censet. Quanquam nec referat, hocne an alio nomine Bellator Christianus appelletur, perindeque sit Bella Domini hujus generis Offensiva aut Defensiva esse, modo de Justitia Causæ constet; Potest enim & justissimæ causæ necessitas injici ingruenti parti adversæ se opponendi, ejusque conatus destruendi, ut in Bellis pro Patria adversus oppressores ejus; sicque & veritas obruta assertoribus egere, qui tamen non ideo pacis turbatores erunt, licet dissidii autores sint, sed illi potius, qvorum injustus dominatus causam disfidio præbuit. Sic Christus Doctrinæ Pharisaicæ licet inveteratæ, Apostoli Gentilissimo litem moverunt. eo nomine etiam tanquam novatores & autores turbarum passim traducti, sed non eo minus causæ Bonitate gavisi, utpote veræ libertatis à dominatu externo vindices; Et Hilarius cum disceptandi cum Arianis copiam sibi fieri rogasset, *quasi discordiæ Seminarium & perturbator Orientis ad Gallias redire jussus.* Sulpit. Sev. L. II. *XX. C. 59.* Invenitque hic ex parte locum elegans Scriptum Johannis Wigandi, Episcopi Pomesanienſis Von dem gröſten Frieden-Störer nach der Welt Urtheil. Tales enim esse ait: Nicht die muthwilligen Kinder / sondern die Eltern / die muthwillige Kinder scheltens

sie

sie stäupen / dadurch sie ihnen zur Ungedult / wieder murren / und gar zum weglauffen Anlaß geben: Denn wann die Eltern nur zu frieden wären / so wäre zwischen ihnen und den Kindern gantz keine Uneinigkeit / gantz kein Streit. Nicht die faulen Knechte / sondern der Hauß-Vater / der auf die Knechte schilt / prügelt / und die nicht gehorchen wollen / zum Hause hinaus stosset: Denn wäre er nur zu frieden / so wäre zwischen ihm und den Knechten kein Streit. Nicht Simeon und Levi / sondern der gnitternde Vater Jacob / der ihre Grausamkeit straffet: Darum hätte er / wie sie meynten / sein verdrießlich Maul gehalten / wäre zwischen Jhm und diesen tapfern Kriegern kein Streit gewesen. Nicht die welche die alten Jrrthümer wieder auf die Bahn bringen / und zuweilen noch neue hinzuthun / nur daß sie jene mit neuen Farben überstreichen: Sondern die gehäßigen Wiederlehrer / welche aus den Biblischen Schrifften darthun und beweisen / daß solche Jrrthümer lauter Betrug und Gottes-Lästerungen seyn. Nicht die Baals-Pfaffen / nicht Achab; Sondern die unruhige Hader-Katze der Elias / der die Baalitische Lehre straffete und verdammete: Dann wann der Zanckſüchtige Frieden-Störer der Elias hätte Frieden halten können / so wäre kein Zwist zwischen den Baaliten und Jhm / zwischen Jhm und Achab gewesen. Scilicet der friedfertige Teuffel / die Welt / die Mörder / Diebe / Wucherer / Ketzer / Verkleisterer der Jrrthümer sind gantz begierig der Ruhe und des Friedens / daß sie mit so vielfältigen Widerlegungen aus GOttes Wort nicht geplaget / gezerget und getrennet werden: Hergegen sind die aller Schande und Schimpffs werth / die da so sehr auf die Widerlegung falscher Lehre dringen und wollen / daß man die Jrrthümer erkennen / schlechter Dinges verwerffen / und vor das gegebene Ergerniß soll genug thun. Itaque nec refert in certamine, uti vocant, Sacramentario Carolstadio aliam quam Luthero & Symmystis ejus mentem fuisse, vel Zvvinglium etiam & Oecolampadium ab iisdem divertisse: Cur enim his non æque ac aliis licuisset sententiam, quam S. Scripturæ maxime congruum invenissent, exponere. Sed nec autores disidii proprie dici potuerunt, cum nihil novi protulerint, sed veterem Doctrinam, ne dicamus primitivæ Ecclesiæ, sed Waldensium aliorumve piorum virorum asseruerint, immo, nec vim primi intulere, sed pasi sunt: Carolstadio insupet Aurens Nummus

mus in pignus certaminis oblatus, quod certe provocantis, non provocati est: Haben noch nie herfür gewolt/ biß ich sie mit einem Gülden heraus gelocket habe/ der ist von Gottes Gnaden wohl angelegt/ und reuet mich nicht. inquit Lutherus P. II. c. die Himlischen Propheten init. *Tom. III. Jen. f. 68.* Unde si quid opprobrii est aliquem disfidii autorem dici, certe eum manebit, qui reliquorum sententias valere haut passus fuit, non qui eas foverunt.

X.

Arma quod attinet, ea enumerata à Magno Doctore Gentium *Eph. VI. 13. 14. 15. 16. 17.* quorum brevem explicationem in *caput III.* reservamus. Cæterum in arbitrio Bellantium positum, quæcunque judicaverint aptissima esse ad hostem debellandum, eorundem quoque idcirco periculo relicta; Attamen cavendum est, *ne vana sint*, quoniam talia ad finem obtinendum nihil valent & terriculamenta potius externa, quam hostilitatem minuentia. Instrumenta sunt; *Nec communi gentium consensu damnata*, ne dolose rem egisse videamur. Prioris generis sunt *Verborum strepitus rebus vacui*, similesve *actus Theatrici in Disputationibus Theologicis* sæpe visi, terrendæ quidem parti adversæ subinde inservientes, sed ad causam ipsam nihil momenti afferentes, quia veritas simplex est, eademque manet, quocunque apparatu inducatur; Nec causam malam oculiferia hæc magis juvant, quam fucus morbidam faciem, aut crassa vestis macilentum corpus. Exemplum in Disputatione Lipsiensi inter Lutherum, Carolstadium & Eccium anno M D XIX. visum, in qua *Eccius clamore, vultu militari & truci, gestu histrionico pene & incessu impetuoso feroculus quispiam apparebat, Omnia illa externa corporis signa animum parum Theologicum declarabant; Dixisses Gorgiam quempiam disputare, non Theologum. Adeo leviter & impudenter subinde se jactabat, magnamque ideo jacturam nominis sui apud nos fecit: Levissime asserit, quæ falsa sunt, impudentissime negat, quæ pro certo vera, adque cum jactatione sui, quo res sit odiosior:* Ut P. Mosellanus de eo scribit Ep. ad Bilibaldum Pirckaimerum apud *Scultet. Ann. ad A. 1519. f. 39.* Nec dissimiles ei qui in controversiis *Clamantium* nomine non ignoti sunt, non quod voce assidua utendum non sit, talis enim fuit vox Baptistæ *Clamantis in deserto*, & ad pœnitentiam homines exhortantis, & *Angeli voce*

ma-

magna Clamantis, quemadmodum leo rugit, Apoc. X. 3. ultimaque supplicia impiis denuntiantis; Sed quod sola voce rem gerere præsumant, ignari quid & quare voces edant, asſimilandi hac in parte Turcarum militiæ quæ horrendo clamore quidem ad prælium descendit, sed vires eidem proportionatas posthac raro ostentat; Et quod Cyrus Junior ad Græcos suos dicit: *Hostium multitudo ingens est, & ingenti cum clamore adversarios invadunt, quæ si pertuleritis, cæterorum vos ipsos pudebit sat scio,* Αν δὲ ταῦτα ἀνάσχησθε, τ' ἄλλα ηδὴ αἰσχύνεσθαί μοι δοκῶ. Unde & de compescendis iis sæpe cogitatum, neque abs re superioribus temporibus cecinit, quisquis fuit: Schaffet ab die Schreyer und Clamanten / die Hadermetzen und Bachanten / die nichts können / als calumniren / und die Christliche Kirche turbiren. Non quod viro honesto licitum non sit Religionis suæ, licet erroneæ, fundamenta proferre aut defendere, sed quod vane ab iis defensio jactetur, qui non nisi mera verba crepant, rerum easque defendendi modi plane ignari: Exitu quoque non alio, Samnitium olim post sponsionem Caudinam, de quibus Sp. Posthumius judicavit, *quod somnio lætiore; quam quod mentes eorum capere possent, nec quicquam elusi fuerint*, ap. *Liv. L. IX. c. 9.*

XI.

Ab his proxime absunt ita dicta *Præjudicia*, in omnis genere scientiarum quidem obvia, at in Theologicis præcipue dominantia, dum cœca fide homines quod semel imbiberunt, retinent, & in aliis non quid aut quare profiteantur, sed tantummodo quod aliter sentiant, oderunt; Qvomodo & Turcas odisse Religionem Christianam supra vidimus *cap. I. §. 20.* Qvæ proinde *Armis Obtusis* assimilabimus, quibus gerendis quidem assvevimus, sed præter ostentationem externam ad vim inferendam usum non habent: Recteque improbantur, quia facultatem discernendi Intellectui humano adimunt, nec nisi cœcam obedientiam vel potius insensilitatem ei relinqvunt. Qvomodo excipienda, aut ferenda, qvidve de Hominis fidelis qvi se oppugnari præjudiciis experitur, statione sit statuendum, breviter & prudentissime expositum à *Joh. Jac. Grynæo Commonef. de Off. Pior. Hom. &c.* inſr. §. XXIII.

pluribus citanda. Sæpe tamen & exceſſu hac in parte peccari nimis notum eſt, dum homines omnia quæ opinioni ſuæ non conveniunt pro Præjudiciis haberi volunt, quo nihil ventoſius & ad Monopolium vel Soli-ipſiam in Sacris aptius, qvaſi ſoli hi ſapiant, reliqui omnes meræ umbræ ſint; Neqve alium finem habet, qvam univerſas de Religione ſanas cogitationes confundendi & tollendi, omnemqve adeo Armorum Sacrorum uſum, niſi qvem ipſi velint, hominibus eripiendi; Prorſus ut Philiſtæi olim *caverunt, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam; Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſtiim, ut acueret unusquisque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum: Retuſæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentium, & ſecurium usque ad ſtimulum corrigendum: Cumque veniſſet dies prælii, non eſt inventus Enſis & Lancea in manu totius Populi. 1. Sam. XIII. 19. 20. 21.* Qvo nomine & Theologos Evangelicos de Socinianis paſſim queri legimus: Ideo nos velle exuere animis omnia adverſus ſe præjudicia, omnia nim. qvæcunqve à teneris, docti tenemus, ſuis repugnantia & adverſa: Nempe ut nudata in eorum gratiam mente hoc facilius imbibamus ipſorum Hæreſes, quo nullo ſimus præmuniti antidoto, & veritate excuſſa pateamus erroribus atque omni deceptioni. *Hoornbeck Soc. confut. T. III. f. 630.* Nihil certi qvoqve relinqvitur propriis placitis ita ſentientium, cum non impedire poſſint, qvo minus ſuæ qvoqve opiniones ab aliis pro Præjudiciis habeantur: Qvod momentum in Novatoribus ſui temporis jam annotavit Tertullianus *L. de Præſcript. adv. Hæreticos: Ubi enim erit finis quærendi*, ait, *ubi Statio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit: Quærite & invenietis. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronunciatione pulſavit, & Ebion & Simon & omnes ex ordine non habent aliud quo ſe mihi inſinuantes me ſibi addicant. Et ero itaque nusquam, dum ubique convenio.*

XII.

Sed nec *Arma Venenata* utpote *Communi Gentium Jure damnata*, adverſus hoſtes adhibenda ſunt, quia licet hoſtis ſit, honeſte tamen cum eo agendum eſt, non doloſe, cum hoſtem qvidem, attamen Virum agnoſcamus, adeoque armis quidem, tamen ſecundum

dum humanum modum petendum; Secus si fiat, non adversus vires hostium, sed adversus calamitates eorum contenditur ut Alexander loquitur apud *Justin. L. XI. c. 12.* Tales in Bellis Sacris sunt *Calumniæ*, qvibus Pars adversa denigrari quidem, sed expugnari non potest, qvas etiam non minus dicemus *infamare causam controversam*, qvam *ferrum infamari veneno* dixit Silius: Et si contra fas Deûm Floro visum fuit in Bellis humanis fontes veneno infici *L. II. c. 20.* certe causam viventis optimiqve Dei propugnare dici non possunt, qvi calumniis partis adversæ eam, non argumentis solidis defendunt, cum æterna veri ac falsi repugnantia sit, nec verum nisi in vero nunquam in falso & mendaciis reluceat. Tales primi Christiani olim magno numero passi, qvos brevi summa comprehendit *Doctiss. Kortholtus Tr. de Calumniis Paganorum in Veteres Christianos sparsis.* Et Ariani *adversus quos de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus fictisque criminibus accusabant. Sulp. Sev. L. II. c. 20.* Similiter *Augustinus* qveritur sibi à Pelagianis sedecim articulos falso vel calumniose impositos fuisse, ut Doctrinæ suæ de prædestinatione divina, qva illi se premi sentiebant, invidiam conflarent, *Resp. ad Artic. sibi fals. imp.* Eodem modo superiori seculo *Luthero* Turcismus Anabaptismus, Conversatio cum Diabolo, à Cochlæo, Pistorio, Serario, Conr. Andreæ &c. objecta; *Calvino* Turcismus à *Reginaldo* Magni Theologi Reformati Johannis Rainoldi Fratre, Judaismus ab *Hunnio*, qvibus omnibus Viri Docti ipsarum partium plane pleneqve responderunt. Nec minores in integras Ecclesias effusæ calumniæ, qvas hic recensere paginarum præsentium brevitas non patitur: Pro Reformatis tantum allegamus Qverelam Synodi Dordracenæ: *Eos quos id minime decuit, citra omnem veritatem, æquitatem & charitatem, populo inculcatum voluisse: Doctrinam Ecclesiarum Reformatarum de Prædestinatione & annexis ei capitibus, proprio quodam genio atque impulsu, animos hominum ab omni pietate & religione abducere: esse Carnis & Diaboli pulvinar, arcemq; Satanæ, ex qua omnibus insidietur, plurimos sauciet, & multos tum desperationis, tum securitatis jaculis lethaliter configat: Eandem facere Deum autorem peccati, injustum, Tyrannum, Hypocritam; nec aliud esse, quam interpolatum Stoicismum, Manicheismum, Turcismum: E-*

andem reddere homines carnaliter ſecuros, quippe ex ea perſvaſos Electorum Saluti, quomodocunque vivant, non obeſſe, idcoque eos ſecure atrociſſima quæque ſcelera poſſe perpetrare: Reprobis ad Salutem non prodeſſe, ſi vel omnia Sanctorum opera vere fecerint: Eadem doceri Deum nudo puroque voluntatis arbitrio, absque omni ullius peccati reſpectu, vel intuitu maximam mundi partem ad æternam damnationem prædeſtinaſſe & creaſſe: Eodem modo, quo Electio eſt fons & cauſa fidei ac bonorum operum, reprobationem eſſe cauſam infidelitatis & impietatis: Multos fidelium infantes ab uberibus matrum innoxios abripi, & tyrannice in gehennam præcipitari, adeo ut iis nec baptiſmus, nec Eccleſiæ in eorum baptiſmo preces, prodeſſe queant: Et quæ ejus generis ſunt alia plurima, quæ Eccleſiæ Reformatæ non ſolum non agnoſcunt ſed etiam toto pectore deteſtantur.

XIII.

Hujus generis etiam erunt *Verborum Injurioſorum convitiorumque* agmina, qvibus Diſputantes ſæpe ſe partem adverſam confecturos confidunt, *Turpes certe fœtus impotentium animorum*, ut *Grotius* loqvitur *Prolegom. §. 52.* tanqvam ventoſa lingua aut calamus ſufficeret ad Belli aleam ſuſtinendam, aut veritatem juvet injuriis certare: Nec credi poteſt *Spiritum S. pacis autorem ad ejusmodi pugnas unquam ſeſe dimittere*, ut Moſellanus ait loco paulum ante citato, Vane objicitur *Spiritus S. exemplum*; Huic enim tanqvam ſupremo Domino & παῤῥησιογνώστῃ quod competit, id alii ideo ſuum facere non poſſunt, niſi parem ſibi autoritatem eſſe oſtenderint. Nec *Spiritui cuidam Heroico* id tribui poteſt; Heroicum enim qvod eſt, in contemptu impedimentorum exiguorum conſiſtit, nunqvam in cumulandis injuriis, nec nunqvam Virtutis Heroicæ effecta ejusmodi vel Gentiles vel Chriſtiani agnovere. Qvi hoc modo petuntur, his ſufficit, qvod Hieronymus alicubi ait: *Felix Conſcientia, quæ pro Deo ſuſtinet opprobrium*; Et Tertulliani iſtud: *Si apud Deum depoſueris injuriam, ille ultor erit: Si damnum, ille reſtitutor erit: Si dolorem, ille medicus erit: Si mortem, ille reſuſcitator erit.*

XIV.

Apud Juſtinum legimus in Scytharum Bello cum Servis varia ſæpe victoria cum actum eſſet, conſilium demum arreptum ſu-

fuisse mutandi genus pugnæ, nec tanquam cum hostibus, sed cum Servis præliandi, eoqve *verbera in aciem, non tela ferenda, omissoque ferro, virgas & flagella, cæteraq; servilis metus paranda instrumenta:* Eventum qvoqve respondisse, & quos ferro non potuerint, metu verberum vicisse, fugamqve non ut hostes victos, sed ut fugitivos servos capesivisse. *L. II. c. 4.* Qvod si ad præsens institutum trahendum est, dicemus, non qvævis arma vel argumenta, qvibusvis disputantibus congruere, sed illa demum adhibenda esse, quæ ingenio eorum qvibuscum agendum est maxime convenire videntur: Locumqve hic inprimis habebunt *Argumenta Indirecta*, per se quidem ad veritatem nihil facientia, cum error alterius causam nostram meliorem haut reddat, nec ideo quia alter errat, seqvitur nos ab errore immunes esse; sæpe tamen ad coercendam partis adversæ licentiam, subinde & impudentiam adducenda, ut dum ad justas rationes obsurdescunt, eas saltim admittant, qvas intra septa propria inveniri sentiunt, eoqve in aliis etiam placidius ferant, excusariqve patiantur, qvod domi suæ qvoqve succrescere vident, Juxta illud: *Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis; Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, Atque aquila aut Serpens Epidaurius.* Comparari etiam possent cum *Repressaliarum Jure*, qvo in defectu Juris reddendi etiam sine Bello solenni damna nobis data per similem occupationem Bonorum partis alterius compensamus. Hujus loci qvoqve erunt *Aculeati loquendi modi*, non prorsus qvidem contemnendi, præcipue si immodesti non sint, cum tanqvam notæ generosi contemtus haberi possint; sæpe tamen convitiis proximi, eoqve parcius adhibendi. Lutherus id alicubi vocat *Amsdorfice respondere. Ep. ex Eremo ad Georg. Spalat. d. V. Aug. A. MDXXX.* Qvod qvid sit, hic dicendi locus non est. *Vid. Cœlest. Hist. Com. Aug. P. III. f. 24.*

XV.

Sed & modum arma expediendi rite teneri oportet; Potest enim & legitimorum Armorum abusus esse, si convenienter non adhibeantur; Qvalis est *Ingeniorum fervidorum*, qvæ dum uno impetu omnia prosternere cupiunt, res bene collocatas sæpe in novam confusionem conjiciunt, causæque bonæ magis detrahunt,

qvam eandem juvant. Atqve hoc ut plurimum est, qvod *membra laceravit & distraxit, fratres divulsit, urbes perturbavit, populos in furorem præcipites egit, gentes armavit, reges in mutuum exitium concitavit, sacerdotes cum plebe & secum etiam ipsos, plebem rursus non minus ipsam secum, quam cum Sacerdotibus commisit.* Gregor. Nazianz. *Orat. de Moderatione in Disputationibus servanda, & quod non sit cujusvis hominis, nec cujusvis temporis de DEO disputare XXVI. f. 444.* Talisqve proinde Bellator etiam nihil aliud est, qvam πίστεως τὸν λῆς ἀκυβέρνητον, *fidei navigium gubernatore carens*, ut ibidem loqvitur, & *instar acris equi, qui nullum unquam egregium sui usum præbuerit, nisi freno eruditus & accuratiori exercitatione domitus & cicuratus fuerit.* Οὐδὲν ἀγαθὸν, μὴ χαλινῷ παιδευθεὶς, καὶ γυμνασίᾳ φιλοπονωτέρᾳ μαθὼν ἡμερῶτηται. Idem ibidi Ex hoc fonte manauit *Flacii* error de Peccato Originali, cujus deformitatem cum à multis extenuari videret, totam hominis naturam extreme corruptam dixit, & cum in Disputationis fervore rem esset vere depicturus, phrasibus absonis usus animadversionem publicam incurrit. *Micræl. Histor. Eccles. Schism. Luther. Eccl. f. 1040.* Seu ut explicatius ea de re loqvitur Schlüsselburgius: *Illyricus ambitione ebrius, fervore contentionis nimium sui ingenii acumine & acrimonia fretus, omnium collegarum fraternas & fideles admonitiones superbe aspernatus est & illis dissvadentibus, invitis & repugnantibus pertinaciter plurimis scriptis suam blasphemam propositionem palliare, incrustare & propugnare cœpit, & multos homines in suam sententiam libris, publicis typis evulgatis, pertraxit. Catal. Hæred.* Lib. II. p. 4.

XVI.

Dolis qvoqve subinde in hoc Belli genere locum datum videre est, nam & in humanis Bellis *dolus an virtus quis in hoste requirat?* Sunt tamen aliqvi Doli mali, jure Naturæ & Gentium vetiti, qvales in Bellis Sacris nostris (1) *Simulatio communis Professionis:* Qvomodo *Ariani* olim *non ausi palam erroris sui dogmata prædicare, Catholicos se gerebant, nihil sibi prius agendum rati, quam ut Athanasium Ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstitent. Sulp. Sever. L. II. c. 50.* (2) Eidem proximi *Generales & ambigue loquendi modi in formulis fidei:* Qvomodo ab iisdem descriptam fidem idem Sulpicius

us refert *verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur.* Cap. 58. Et *Valens tanquam nostros adjuvans subjecit sententiam, cui inerat occultus dolus, Filium Dei non esse creaturam, sicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus professionis; Etenim his verbis quibus similis esse cæteris creaturis filius negabatur, creatura tamen, potior tantum cæteris, pronuntiabatur. Ita neutra pars viciisse se penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arianis, professiones vero postea adjectæ pro nostris erant: præter illam quam Valens subjunxerat, quæ tum non intellecta, sero demum animadversa est,* apud eund. eod. l. Seu ut eadem de re est apud Hieronymum: *Ingemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est.* Dial. inter *Orthodox. & Lucifer. c. VII.* Quorum proinde communis exitus etiam esse solet, qvalem describit in Episcopis Occidentis post intellectam fraudem illam, de qva modo egimus Hieronymus eod. l. *Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare.* Sæpe & *Lacrymæ* in subsidium vocatæ, qvomodo Taurus Præfectus Phœbadium & Servatium Episcopos, *quia minis & terriculis non cesserant, precibus aggressus ac lacrymans obtestatus, mitiora uti consulerent. Sed Phœbadius paratum se exilio, atque omni supplicio ad quod deinde poscerentur, professus negavit, se ab Arrianis conceptam fidem recepturum. Sulp. Sev. c. I. Humilitas* qvoqve subinde obtentui sumta, qvomodo Priscillianus *humilitatis speciem ore & habitu prætendens, honorem sui & reverentiam cunctis injecerat.* Id. c. 60. Eundem *arte blandiendi* multos allicuisse in Societatem ibidem prodit: Qvomodo & Bileam olim Israelitas aggrediendi autor Moabitis fuit. De qvo in specie vid. *Bechstät* von rechtmäß. Urs. Krieg zu führen *n. 96.* Cujusmodi & plura in Scriptoribus Historiæ Ecclesiasticæ passim videre est.

XVII.

Ejudem generis sunt *Mutilationes, Additiones, Detorsiones Verborum partis adversæ,* Dolorum nomen vel maxime meritæ, licet contraria à prioribus ratione, cum in illis communem fidem doctrinamqve simulent, eoqve specie amicitiæ fallant, hi ex adverso dis-

dissimulent veram partis adversæ sententiam, prioribus vel eo nomine odiosiores, qvod cum aperta vi conjunctæ sint: Crassiores qvoqve, qvia dum existimationem alienam studeant *lædere*, *suam se evertere nocendi cupiditate non videant* ut *Augustinus* loqvitur. *Resp. ad Artic. sibi obj. c. 1.* Hoc modo à Theologis Parisiensibus secum actum Lutherus qveritur: Sie ziehen meine Worte nach ihrem Muthwillen/ als wärens eitel Emser Böcke: Darzu ist das nicht gnug/ wo sie nicht Raum finden mich zu lästern/ machen sie Raum/ und nöhtigen sich drinnen/ indem daß sie sagen/ wann Luther das meynet/ wann er so will/ wann man dieß also/ das also nimmt. Ey/ welcher Spruch in der Schrifft ist nicht ketzerisch/ wann man also sich zu ihm nöthiget/ reimet und muthwillig zeucht/ wo man hin will? Wolt ich doch wohl sagen/ daß Moses ein Ketzer sey/ eben da er sagt/ GOtt hat Himmel und Erden geschaffen/ so er durch das Schaffen wolte verstehen ein Schaaf oder jährig Kalb. Tom. I. Jen. f. 581. Fata Reformatorum eadem in re Patres Dordracenos qvestos supra vidimus, è dictis nim. Doctorum Suorum sæpe *mala fide citatis aut in alienum sensum detortis*, judicia de doctrina Ecclesiæ formari. Qvod & à Theologis Heidelbergensibus singulari Tractatu ostensum, daß die Verkläger der Reformirten Kirchen die Schrifften derselben wissendlich falsch anziehen/ oder ja im fremden Verstand zu verkehren pflegen/ nur damit sie ihnen allerhand abscheuliche Irrthümer zumessen mögen. *Edit. Heidelb. 1610. 12o.* Qvibus ipsis tamen non itapridem adhuc Scripto publico imputata agnitio, *quod non recte ipsis imputentur, ceu errores proprii, quos tamen non profiteantur, sed qui ex ipsorum doctrina solum consequantur*, daß ihnen etliche Irrthümer mit Unrecht würden aufgebürdet/ als wann solche ihr eigen wären und in ihren Büchern stünden/ da Sie doch nur daraus und aus ihrer Lehre folgeten. Sed adjecta ab iisdem clausula, in qva cardo totius negotii vertitur omissa, *si mala fide cum ipsis ageretur*, **wann man uns redlich mit uns handeln wolte.** Es ist nicht wahr/ daß unsere selbst eigene Worte da stehen/ daß GOtt nicht allmächtig sey/ sondern es stehen nur solche Worte da in unsern Schrifften/ daraus man diese und dergleichen Gotteslästerung folgern kan/ wann man unredlich mit uns handeln/ und wie wir uns vor und nach erklähren/ nicht in acht neh-

nehmen und gelten lassen will. Ausführl. Ber. *C. I. f. 25.* Ex *Victorini Strigelii* Paralipomenis etiam, loco alias sæpe defenso, eodem Scripto repetitum, tanqvam Rationem pro norma Religionis haberet: *Ego Tibi hortator sum, ut & verba cœnæ accurate consideres & animo ac cogitatione conversus sis ad totum corpus doctrinæ Christianæ. h. ad proprietates finitæ humanæ naturæ.* Sed verba *ad proprietatis finitæ Humanæ Naturæ*, è qvibus momentum objectionis pendet, dolose assuta sunt, & apud Strigelium non inveniuntur. Ita nimirum adhuc valet, qvod à Pontio Samnitium Duce Romanis aliqvando responsum legimus; *Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? Et vix pueris dignas ambages Senes ac consulares fallendæ fidei exquirere?* ap. *Liv. Libr. IX. C. 11.*

XVIII.

Interim *Doli Boni* nonnullibi locum suum inveniunt: Nam & Strategemata in Bellis Terrenis licita sunt in iis rebus, qvæ juri nostro prosequendo inserviunt, inter Partes Bellantes autem in commercio non sunt. Id veteres Græci ἀληθομυθεύειν dixere, Patres *Oeconomiam*, h. *sapientiam quandam artemque, qua possis è mediis, iisque impervias desparatarum rerum angustiis difficultatibusque, correctis emendatisq; animi vitiis evadere.* ut *Chrysost.* loquitur *de Sacerd. L. I.* Nimirum si cum procuratione majoris boni & sine læsione juris alieni id fiat. Vid. *Diss. nostram de Turbamentis Vulgi Cap. I. §. 4. & 6.* Sic Paulus se Judæis Judæum, infirmis infirmum, omnibus omnia factum scribit, ut omnes faceret salvos *1. Cor. IX. 21. 22.* Et Lutherus literis d. V. Augusti. Anno MDXXX. ad Melanchthonem scriptis: *Si vim evaserimus, pace obtenta, Dolos, mendacia ac lapsus nostros facile emendabimus, quando regnat super Nos misericordia ejus*, ap. *Cœlest. Hist. Comit. Aug. Tom. III. f. 24. 6.* Eodemqve sensu forsan Beza ac Farellus aliqvando dixere: *Opus sibi fuisse Dolo Bono ad liberandos Fratres:* Si verum est hos unquam ita scripsisse vel locutos fuisse, cujus probatio toto seculo desiderata, nunquam facta fuit.

XIX.

Est & inter Arcana Artis Militaris *Non pugnare* qvomodo Fabius Annibalem fregit, non pugnæ copiam faciendo, sed cunctando.

do. Talis *generosa à controversando abstinentia*, ubi vel facultas ob vim majorem impedita est, vel effectus dignus aliqvis sperari non potest. Cujusmodi exempla in Ecclesiis pressis passim obvia, Colloqvia detrectantium qvanqvam summa autoritate indicta, cum suspicarentur non hoc agi, ut veritas patefieret, sed ut stabiliretur aut Tyrannis, aut impium aliqvod dogma. Sic cum Constantius Imperator Synodum Antiochiæ coegisset, Maximus Episcopus Hierosolymorum noluit accedere, qvia norat, qvo voluntas Constantii propendebat, vel potius, qvid machinarentur illi impostores, qvi mirificis technis depravabant Imperatoris animum: Athanasius cum venisset in Synodum Tyriam, inde tamen statim discessit ac fugit ad Imperatorem, postqvam vidit, ab ipsa Synodo subornatos & instructos esse qvosdam Sycophantas, qvi veritatem per calumniam opprimerent: Et indicta Mediolanensi Synodo cum Paulinus Episcopus Trevirensis, & pauci qvidam alii animadverterent Auxentium favere Arrianis, statim initio discesserunt, & fuerunt cæteris autores discedendi; Non enim volebant Synodi Autoritatem valere ad delendam veritatem. Qvæ aliave ab Evangelicis Scripto publico prolixe adducta inveniuntur, contra Synodum ipsorum causa tunc indictam: Cui ideo & postea interesse negabant, qvod Pars adversa multis præjudiciis jam causam eorum damnasset. Vid. *Causæ quare Synodum indictam à Romano Pontifice Paulo III. recusarint, Principes, Status & Civitates Imperii, profitentes puram & Catholicam Evangelii Doctrinam. Witteberge MDXXXVII.* Et P. P. *Vergerii, Concilium non modo Tridentinum, sed omne Papisticum perpetuo fugiendum esse omnibus piis. Anno MDLIII.* Est etiam ubi *contemptu* transmitti certamen expedit, seu qvod merita causæ tanta non videantur: Qvalia, de qvibus Cremutius loqvitur apud *Tacit. Ann. IV. 34. quæ spreta exolescunt, si irascare agnita videntur*: Seu ob personæ indignitatem, qvomodo Manius Lepidus in Senatu Romano de Lutorio Carminis cujusdam autore censuit: *Vita Lutorii in integro est, qui neque servatus in periculum Reip. neque interfectus in exemplum ibit: Studia illi ut plena vecordiæ, ita inania & fluxa sunt, nec quicquam grave ac serium ex eo metuas.* c. *Tac. Ann. III. c. 50.*

XX.

XX.

Personæ quibuscum bellandum est, *Adversariorum*, *Hostium* nomine appellantur, qui nimirum mentis judicio adeoque Doctrina non tantum à nobis dissident, sed eandem qvoqve contra nos defendunt: Horumqve alii Communes, alii Speciales, prout causa vel pluribus communis, vel uni parti propria est. *Hostes Communes* universæ Religionis sunt *Athei*, qvos passim debellari humani generis interest, qvippe qvod sine probabili ratione violant. Religionis Christianæ universæ deinde Hostes Externi Gentiles, Judæi, Muhammedani; Interni & nomine Christianorum adhuc tecti Sociniani, re ipsa v. non nisi nomen Religioni Christianæ relinqventes. Ideo & consulit Petavius Jesuita: Interesse trium Religionum publicarum in Europa, ut junctis viribus hanc Sectam expugnent. Iterum Communes Hostes Evangelicorum & Græcorum Pontificii, quippe omnibus, qvalitercunqve inter se dissentiant, æqve graves: Unde & sæpe acrioribus Disputatoribus inter Evangelicos vitio versum, qvod dum inter se certant, communi hosti in prædam cedant, certe vires ejus validiores reddant, cum tamen utrorumque interfit, ne in Ecclesiæ Romanæ ditionem redigantur. *Monzamb. de St. Imp. Germ. t. IIX. §. 7.* *Capitales Hostes* qvos in civilibus dicimus, à qvibus periculum interitus Reipublicæ imminet, in Sacris Hæretici erunt, ex magnitudine periculoqve erroris qvidem æstimandi, sed de qvo ipso difficilem disceptationem esse non ignotum est. Hic tantum monemus, eos saltem hoc nomine non appellandos, qvos ipsa materia Doctrinæ licet erroneæ eximendos flagitat, qvales non pauci apud priscos Hæreseologos inveniuntur, Hæreticorum nomine traducti, cum in circumstantia temporis aut loci, sæpe etiam levicula opinione Philosophica tantum à reliqvis diverterint, non in substantia fidei. Tales Hæreses de mundo; Annis Christi & tempore, Annorum mundi incertitudine, Divisione orbis & ss. plurimæ apud *Philastr. Brixiensem* & alios Hæreseologos.

XXI.

Qvia vero pro Hostibus etiam habendi, qvi faciunt qvod

hosti placet, hic qvoqve eo nomine venient, qvi in adversam partem propendent, licet alias ejusdem cum ea professionis non esse videantur: Unde Papissantium, Lutheranissantium, Zvvinglianissantium, Socinianissantium & ss. nomina, eorum nempe, qvi licet alius Religionis sint, in cœtum talem tamen inclinare censentur: Qvos proinde imitatione Status Bellici *Fœderatos* vocabimus, qvia horum causam juvant, vel certe materiam, qva hostilitatem alant, subvehunt. Sic Arminianos hodiernos Socinianisare Theologi Evangelici passim agnoscunt, ob Doctrinæ similitudinem & Socinianorum, vel eo nomine suspectorum in cœtus suos haut difficilem receptum. De qvo vid. pluribus *Voet. Notit. latentis & serpentis Hæreseos Anti-Trinitariæ Vol. III. Disp. f. 815. & seq.* Et Semipelagianos olim dixere, qvi mitigando cruda Pelagii dogmata, ea novis coloribus incrustata invehebant. *Horn. Histor. Eccles. Art. III. §. 32.* Communius id tamen in privatis personis qvam integris cœtibus invenitur: Qvomodo Grotius Papissare non uno in loco deprehensus, ut in Doctrina de Antichristo, aliorumve Dogmatum Pontificiorum tum defensione tum excusatione, de qvo V. *Calov. observ. in Præfat. Grot. in Annotat. Bibl. f. 193.* Et inter Episcopales Angliæ nonnulli in Arminianorum partes inclinarunt, citra præjudicium Ecclesiæ Anglicanæ, cui actus tales non magis imputari possunt, qvam alias facta privatorum communitati integræ Vid. *præc. §. 5.* Qvæqve proinde nec Synodum Dordracenam contemnere dici potest, licet in Anglia omnino sint, qvi exiguo eam in pretio habeant; Aliud enim est in Anglia id fieri, aliud ab Anglicana Ecclesia. Præterea nec qvævis similitudo externa opinionum aut convenientia in uno alterove Dogmate pro Symbolismo habenda, nisi in eo qvod præcipuum & Sectæ alicui proprium est consentire, aut saltim haut magnopere dissentire deprehendatur, cum nulla fere Secta sit, qvin communi aliqva sententia cum altera participet: Ideo nec Reformatos Papissare qvis dixerit, licet communi cum Pontificiis Sententia à Doctrina de Ubiqvitate Carnis Christi alieni sint; Nec Angliam Lutheranisare, licet in Dogmate de Universali Gratia Angli nonnulli Lutheranis affines sint, qvia τὴν ἀνεξίαν δό-

δόξαν γνησίως Lutheranorum communiter abhorrent, Doctrinam nempe Ubiqvitatis & Oralis Manducationis; Neqve verius id fieri dixeris, qvam Lutheranos Arminianisare aut Papissare ob Doctrinæ de Gratia Universali & Defectione Sanctorum qvandam affinitatem, qvos alias constat præcipuas utrorumqve Doctrinas perhorrere. E qvo una perspicere est, qvid de Himmelii & Gesneri Calvino-Papismo, Graueri Harmonia Photinianorum, Giffardi & Hoei Calvino-Turcismo, & ss. superioribus annis emissis odiosis Scriptis sentiendum; Si enim externa similitudo & ne illa qvidem vera, sed ut plurimum fictitia, certe impertinens, sufficit, qvidvis ex qvovis facile formare licebit: Qvibus tamen illo tempore plene responsum ab Autore *Turco-Papismi*, Londini editi Anno MDCIV. & Hulderico Castenio in neun und neunzig Unwarheiten / mit welchen D. Matthias Hoë die Reformirten wider sein besser Wissen und Gewissen bey dem einfältigen Mann in den schweren Verdacht zusetzen sich bearbeitet / als wann Dieselben in neun und neunzig Puncten mit den Arrianern und Türcken übereinstimmeten. Ed. A. MDCXXI.

XXII.

His proximi erunt *Medii* in Bellis Sacris nostris, qui æqvos se utriqve parti præbent; Non male, si de Actibus Externis intelligantur, qvales partem facere Disputantium, censura perstringere, prohibere Doctrinam partis alterius, & ss. De hujusmodi actibus enim sæpe valet Archidami Spartanorum Regis Epistola licet brevissima ad Eleos, cum viderentur in Arcadum partes inclinare, Καλὸν ἡσυχία *Bonum est quiescere.* At si de re ipsa sermo sit, minime ferendi, cum inter Affirmativam & Negativam medium constitui non magis probabile sit, qvam medium inter vulpem & anserem Vulpanserem fingi, talia enim dicuntur tantum, sed sensum nullum habent; Nec congruit Intellectui, cujus simplex actus ajendi vel negandi est: Medium si qvis tenere se putat, vel materiam de qva agit, non intelligit, vel si intelligat, externo cortice verborum communium qvidem uti potest, sed nihilominus alterutram sententiam profitebitur; aut plane nihil relin-

qvit: Ἢ τὸ πᾶν τίμησον, ἢ τὸ ὅλον ἀτίμησον ἵνα ἀκόλυθος νοῦς σεαυτῷ τυγχάνῃς *Aut totum honore affice, aut totum contemne, ut saltim tibi ipsi constes. Nazianz. Or. XXXI. c. 12.* Neqve alia mediarum hujusmodi Religionum Effecta sunt, qvam actus qvosdam Externos Doctrinæ utriusqve partis suspendere, majori sæpe periculo qvam fructu Ecclesiæ. Tales veteres Sampsæi, qvi χρισιανοὶ ὐπάρχοντες, ἔτε ἰυδαῖοι, ἔτε ἕλληνες, ἀλλὰ μέσοι ἁπλῶς ὐπάρχοντες, ἕδέν εἰσι, *neque Christiani existentes, neque Judæi, neque Græci, sed medii simpliciter existentes nihil sunt*, ut *Epiphanius* loqvitur *de Hæres. L. III. Hæres. LIII.* Et *de Religione Interimistica seu Inter-Religione* præcedentis seculi judicarunt Theologi Evangelici, eam dum neqve Pontificia omnia, neqve Evangelicarum Ecclesiarum Doctrinam approbat, medium aliqvid introduxisse, *quod veri parum, falsitatis plurimum continens, neutrum videri poterat, vel nihil etiam prorsus.* Vid. *Exposs. Theol. Witteb. ex Actis Synodicis de Libro Interim. C. 3. 6.* Nullam qvoqve pacem ex ea, sed majorem distractionem metuendam, Ecclesiasqve Evangelicas turbatum, Pontificios haut qvaqvam emendatum, sed magis in abusibus suis confirmatum iri, uti Melanchthon aliive Theologi Literis ad Mauritium Electorem censuere. *Ead. Exposs. T. I. a.* Eodem in loco habendus *Indifferentismus* Religionum nostri temporis, qvo nihil inanius, cum nil certi de DEO relinqvat. adeoqve injurius (1) in DEUM, in cujus contemtum cedit, nullam certam rationem cognoscendi colendiqve Eum iniri, cum ne in humanis qvidem contemtu careat, in indifferenti poni, qva ratione homo alter alterum respicere debeat. (2) In Intellectum humanum, qvem facultate indagandi privat, certe minuit, dum neglectim habere suadet, ad qvod si velit contendere possit. (3) In totam rem humanam, cujus interest nihil in incerto collocari, alias actionum humanarum nullus exitus esset. At si semel circa Veritates Divinas id licet, jam semper & in omnibus aliis id licebit, & vani conatus nostri omnes essent. (4) Communi sensui vel simpliciſſimi Viatoris repugnat, qvi ideo, qvia nescit, qvam viam tenere debeat, non in indifferenti habet, qvam seqvatur, aut ideo cessat aliquam ingredi, qvia dubitat, an vera illa & intentioni

ni suæ conformis sit, sed certam omnino eligit, ut exitum inveniat. Valebitqve hic non minus, qvod in moralibus dici solet: *Præstare per bonam opinionem falli de malo homine, quam per malam de viro bono*, qvia hic major metus injuriæ, istic nullus: Sic in Religionis negotio præstat bona fide seqvi etiam erroneam Religionem, qvam nulli se applicare, id enim est erroneam & bonam æqve contemnere.

XXIII.

Effecta Juris Bellici ex generali Principio circa Injurias derivari solent, adeo ut qui injuria nos parat afficere, is nobis eo ipso jus det, h. facultatem quandam moralem adversus se in infinitum, quatenus aliter malum illud arcere non possumus agendi *Grot. J. B. II. c. 1. §. 10* Eoque Hostem licebit quovis modo in fortunis, Juribus, ipsa vita lædere, quod aliter jus nostrum non consecuturos opinemur: Quæ in Certaminibus de veritate licet itidem de nihilo non sint, temperamentum tamen non minus ac in Bellis Terrenis admittunt: Unde licet jus nobis sit in veritatis hostem infinitis modis directis, indirectis agendi: *Prædica verbum. insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa &c.* II. Tim. IV. 2. Ut tamen secundum Intellectus humani, certe non ultra humanum modum id fiat, non tantum sensus imbecillitatis humanæ, qua omnes affici fas est, aut Lex Charitatis, sed ipsa qualitas disputantium exigit, qvi sicuti non sibi, sed DEO militant, ita de Belli exitu quoque aut modo id finiendi disponere non possunt, sed arbitrio Ejus tanquam supremi Domini relinquere tenentur. Unde nec ad *Anathematismos* veniendum est, id enim non est Bellare, sed Bellum finire, cum condemnatione facta nihil amplius superest: Ne dicamus injuriam esse in humanâ, sortem ideo aliquem exitio destinare, quia non approbat, quæ nobis placent, cum si etiam falsa sint, quæ defendit, defensio tamen bona fide nitatur & culpa agentis careat, adeoque condemnationi eximat. *Idcirco eis*, inquit iterum Salvianus, *patientiam DEUS commodat, quia videt eos etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare.* Et ut Agathias de Alemannorum superstitionibus ait: *Neque enim volentes palantur & cespitant, sed cum bonum appetant, in judicando decepti, quæ semel visa sunt, retinent mordicus, qualiacunque ea fuerint.* Ipse fane Apo-

postolus cum omnibus modis Militem sacrum suum instruit, & ut modo vidimus opportune, importune instare, arguere, obsecrare, præcipit, eundem quidem & *increpare* jubet, sed *cum omni patientia & doctrina cit.* II. Tim, IV. 2. Plura hac de re à nobis collecta in Diss. de Autor. Concil. §. XVII. *De offic. Piorum Hominum, qui necesse habent versari ad catadupa anathematismorum adversus sanam doctrinam de S. Eucharistia singulariter egit prudentissimus Theologus Joh. Jacob. Grynæus Ed. Herborn. M D LXXXIX.* Hic unicum tantum Ethnici quidem at hac in re veracissimi Senecæ monitum adjicimus: *Dum inter homines sumus, humanitatem colamus: nec cuiquam timori aut fraudi simus. Convitia, vellicationes, brevia incommoda magno feramus animo, quia dum respicimus & nos vertimus, ecce immortalitas adest.*

XXIV.

Minime omnium vero *vi externa pœnisque* in dissentientes agi fas est, cum illa per se intellectum permovere non possint, eoque ad finem obtinendum nihil conferant. V. *Præc. C. I. §.* Quin potius *punitis Ingeniis gliscit autoritas, neque aliud externi Reges aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere,* Ut Tacitus in negocio non dissimili *Ann. L. IV. c. 35.* Estque hæc famosa illa *de Hæreticidio* Quæstio, quam cum utriusque Religionis Evangelicæ viri Docti integris libris pertractaverint, nosqve eam identidem aliqvot paginis prosecuti fuerimus *Diss. de Jur. Subdit. circa Sacra Cap. III. §. 4. & seq.* hic proseqvendam non suscipiemus. An ab Ecclesia Reformata hujusmodi Doctrina foveatur, & in hypothesi, an Calvino eo nomine dica scribi possit tanqvam autori & consultori Hæreticidii ob supplicium de Michaele Serveto sumtum à Nostris itidem discussum. De qvo post alios Vid. *Voet. Volum. III. Diss. de Errore & hæresi f. 804. & seq.* Summaqve huc recidit, Hæreticum qva talem, adeoqve propter hæresin puniri non posse, at si immanes blasphemias evomuerit & alias Rempublicam publice turbaverit, omnino in eum animadvertendum, non propter hæresin. sed propter blasphemias in Deum & turbas Status publici. Similis qverela ab Arminianis nostro seculo in Reformatos in Belgio effusa, qvam alii posthac suam fecerunt, Heylinus in Anglia, Danhauerus in Germania aliive. Sed & hos ju-

juſtam qverendi cauſam non habuiſſe & Arminianos potius in noſtros ſæviiſſe neminem præterea eorum ob doctrinam, ſed ob violenta conſilia adverſus Statum publicum & præcipuas Perſonas ei admotas, tum Principem Orangium & aliis qvosdam punitos fuiſſe demonſtratum vide apud *Rivetum Scriptis adverſus Grotium, Traglandium Hiſtoriæ Eccleſ. adverſus Uytenbogardum, Hicmannum contra Heylinum.*

XXV.

De Exitu optandum eſſet, ſemper dici poſſe, quod Luciferianus apud Hieronymum ait: *Vicimus utriq; : uterq; noſtrum palmam refert, tu mei, ego erroris : Utinamq; mihi ſic ſemper diſputare contingat, ut ad meliora proficiens, deſeram quod male tenebam. Dial. inter Orthod. & Lucif. c. VII.* At una de plerisque verum eſt, quod idem de ſuis mox ſubjicit : *Facilius ei vinci poſſe, quam perſvaderi.* Nemo enim facile ſe victum agnoſcit, ſed cauſas ſemper negandi, extenuandi, palliandi defectus ſuos invenit. De multis quoque verum eſt, quod de Philippo II. Macedonum Rege notat Polyb. L. XVI. Ipſum *magis pro victore ſe geſſiſſe, quam victorem ſe ſenſiſſe,* Τοῖς ὅλοις ἡλαττωμένον τῆς νίκης ἀντιποιήσαθαι. Si quid tamen addi debet, pro victo probabiliter habebitur, qui Silendi neceſſitatem primus ſentit, veluti qui loco ceſſit, in dubio magis eſt, ut victus credatur, *Grot. III. XX. XLV.* Poteſt tamen quis etiam pro ſe actu Bellico deficere, ſtatu cauſæ illæſo manente, veluti in Bellis Humanis quoque non parum differunt eſſe *Superiorem Prælo*, & *Superiorem Bello*, Adeoqve Bona cauſa ſubinde premi, mala efferri, veritate medio tempore eadem perſiſtente.

XXVI.

Tandem & de *Pace* cogitandum ; Pax enim qværitur Bello, & Bella per ſe expetere non hominum, ſed ferarum eſt Non tamen κατὰ τὸ λόγον τῆς ἀληθείας ὑφιέντες τι διὰ δόξαν ἀπιστείας, *in veræ Doctrinæ detrimentum, ut facilitatis ac manſvetudinis famam colligamus ; Non enim quod bonum eſt male aucupari licet*, ut *Gregor. Nazianz* loqvitur *Orat. XXXII.* Neqve veritatem ita promovemus, ſed potius admiſſa confuſione evertimus. Talia conſilia Pacis olim Arianorum, hodie Socinianorum, verborum generalibus in-

volucris & fictitio consensu, dum vires extendere neqveunt, ludentium: Et ut Voëtius generaliter annotat, *Cui certamina Ecclesiæ Antiquæ & Reformatæ cum Hæreticis perspecta sunt, is novit eos plerosque Davos & Proteos in Fabula agere, quamdiu rerum non potiuntur. Si ipsi per Zelum importunum secreta effutierint, aut aliqua invitis illis vulgata sint, unde & periculum imminere animadvertant, aut de eo à fautoribus moniti sint, aperte ea resorbent, sed dicis causâ, donec melior opportunitas affulserit. Voët. Not. Lat. & Serp. Hæres. Anti-Trin. §. 5. f. 821.* Qvibus in casibus proinde non indulgendum, sed potius agendum, ut idem *Gregor. Naz.* consulit, ut *adversus ignem & ferrum, & tempora & principes, ac denique prius adversus omnia cominus feramur, quam ut mali fermenti participes efficiamur, ac male affectis assentiamur. Orat. I. de Pace c. 36.*

XXVII.

Sed tamen & plena Pax in his terris potius optanda, quam speranda, non tantum ob perpetuum res Sacras apprehendendi in humano genere diversitatem, de qva *§. 11. h. c.* actum, sed inprimis qvia iidem homines non permanent, qvi si fortean acqvieturi essent, succedentes tamen semper nova arma se adinvenisse opinantur: Et qvod maximum est, nemo est, qvin plenam veritatem se possidere autumet, adeoqve accessum alterius ad sententiam suam intendat, nemo è contrario, qvi victum se fateatur, sed semper causam aliquam sibi supersesse putat, cur sententiam suam retineat: Non pertinacia Theologorum, his enim, si excedere videantur, id pietati potius vertendum, tanqvam *modicas quamvis DEI injurias acriter ulciscentium*, ut de Senatus qvadam sententia in causa sua Tiberius censuit apud *Tac. Ann. III. c. 51.* Sed communi Generis Humani sorte, qva qvisqve se id, qvod est optimum tenere, vel alterum saltem sibi adversandi sufficientem causam non habere autumat. Et rarum est, qvod de Gnosticis scribit *Sulp. Sev. c. 62.* emisso edicto Gratiani de Hæreticis non Ecclesiis tantum, sed extra omnes terras propellendis, *dissisos rebus suis, nec ausos judicio certare sponte cessisse*: Qvanqvam & hoc potius metu pœnarum factum, qvam conscientiæ sensu, alias non cessissent, sed agnito errore permansissent. Accedit, licet Controversiæ

siæ veteres subinde desinant, ex novis causis tamen Bella sæpe instauranda esse: Ut proinde nihil Christiano superst, quam ad eam anhelasse, & cum ultra non possit cum *Gregorio Nazianzeno*, voto vel ipsi tempori, qvo hæc scribimus, convenientissimo ad Deum misso orasse: *Utinam hic dies, dies inclytus & Sanctus vocetur, non contradictionis, sed latitudinis: non tentationis monimentum, sed triumphale festum: ut mutua nostra concordia, totiusque pene terrarum Orbis, qui partim jam ante sanus erat, partim sanitatem nunc recepit, partim sanus esse incipit, vobis quoque Salutis atque instaurationis causa sit. O Sancta & adoranda & longanimis Trinitas &c. O Trinitas omnibus aliquando vel per illuminationem vel per pœnam agnoscenda, utinam hos quoque, qui nunc contumeliis te afficiunt, adoratores accipias, nec quenquam, ne ex minimis quidem amittamus.* Si qvam interim iniri materia Controversiarum ferat, (nam uti supra visum, harum pariter ac Errorum diversi gradus sunt, danturqve Sectæ, de qvibus dici potest, qvod de Cynethensibus narrat Polybius, hujus *ut Gentis Scelerata Legatos undique pulsos esse)* eandemqve rationes & Ecclesiasticæ & Politicæ suadeant, satis erit eam, qvia in terra est, licet non sit de Terra, saltim Pacis Terrenæ ad modum inire, qvæ est Conventio de jure alterius non lædendo, adeoqve salvis utriusqve Partis juribus agnosci sufficientem causam non esse, cur odia utrinqve continuentur: Qvæ *Imperfecta* qvidem, ejusmodi tamen, qvalis haberi potest, & si non plena animorum unio, qvies tamen ab armis & de non lædendo altero est conventio. Hanc præscripsit, Dissidentibus Germaniæ Instrum. Pacis Westphalicæ *Art. V. §. 12. Ut sive Catholici, sive Augustanæ Confessionis fuerint Subditi, nullibi ob Religionem despicatui habeantur, nec à Mercatorum, Opificum aut Tribuum communione, hæreditatibus, legatis, Hospitalibus, Leprosoriis, eleemosynis aliisve juribus aut commerciis, multo minus publicis cœmeteriis, honoreve sepulturæ arceantur &c. Sed in his & similibus pari cum concivibus jure, habeantur, æquali justitia protectioneque tuti.* De eadem quoque locutus sæpe cit. *Gregorius Nazianzenus*, postquam infidam Pacem rejecerat, Orat. 1. de Pace: *Cum suspicio sola animum nostrum male habet, timorque nullis certis argumentis innixus, tum vero lenitatem potius quam colerit atem, & indulgentem demissionem potius quam arrogantiam*

& contumaciam adhiberi convenit: multoque melius & conducibilius est ut in communi corpore manentes mutuo nos ipsos, tanquam alii aliorum membra corrigamus atque corrigamur, quam ut præjudicio per secessionem facto & autoritate per separationem amissa, ex edicto postea, veluti tyranni ac non fratres, correctionem imperemus Cætera Divinæ Providentiæ committenda, quæ veluti corda Regum in manu sua habet, ita Christianorum universorum animos quoque pro beneplacito suo flectere, adeoqve finem modumque his certaminibus ponere potest.

CAP. III.
DE BELLIS DOMINI MORALIBUS.

I. *Nomen Bellorum Domini Luctis in Vita Christiana tributum, Autores de iis*
II. Magnitudo *eorum.*
III. Armorum *descriptio.*
IV. *Sunt* Irreconciliabilia, *sine* commerciis *Bellicis, sine* temperamento, *at exitu securo finienda.*

I.

REstant *Bella Domini* ad praxin adeoqve vitam Christianam directa, eoque *Moralia* à nobis dicta: Quæ quidem eodem, quo hactenus usi sumus, demonstrandi genere diduci possunt, verbo tamen tantum tangentur, cum Virorum piorum ac Doctorum libris passim tradita sint. Qualia ipso nomine se commendantia sunt Pientissimi Theologi *Ernesti Andreæ Bella Jehovæ*, h. Soliloquia animi cum corruptionis nativæ reliquiis & vitiis familiaribus luctantis, semper conscientiam excutientis, semper in excubiis ad detegendas & amoliendas hostium spiritualium

in

insidias constituti, & ad ductum ac præsidium summi Ductoris nunquam non respicientis, ut explicat *Celeberrimus Optimi Autoris Filius Dn. Samuel Andreæ in Præfat. Nov. Edit. Marpurgi, A. MDCXC. adornatæ: Ottonis Casmanni Lucta Peccatoris Resipiscentis in Tentationibus: Petri Molinæi* Geistl. Ritter-Büchlein / ut Germanica Inscriptio se habet. *Panoplia Christiana circa varias Tentationes & afflictiones Genev.* MDXXCIIX. Quo nomine postea & à *Wolffgango Mamphrasio* emissa *Panoplia & Militia Christiana, in qua monstratur, quomodo Miles Christianus omnes hostes spirituales & corporales vincere possit. Lips. MDCII. Caspari Huberini* Streit-Büchlein / *Philippi Kegelii* Geistl. Kampf-Schule / *Erasmi Enchiridion Militis Christiani, Jod. Lorichii Pugna Spiritualis*, plurimave alia.

II.

Magnitudinem eorum ipse Apostolus non diffitetur Eph. VI. 12. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: Sed adversus Principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Neque tantum potentia, verum etiam numero certantium maxima sunt, quippe non cœtuum modo & Ecclesiarum, sed omnium simul & singulorum in omnes. *Non contra unum dimicabis, multi contra te exient adversarii, August. de Catacl.* Imo omnibus tantum non membris in partes vocatis: *Unde Bella & Lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.* Jac. IV, 1. Adeo ut dici oporteat, quod Seneca alias de Libertate ait, *quamlibet in corpore nostro venam iter ad Bellum esse.* Tempore quoque longissimum; *Nulla alia novimus Bella Domini, nisi illa, quibus positis inimicitiis inter mulierem & serpentem, inter semen mulieris & semen serpentis hactenus certatum est, & certabitur usque in finem Seculi. Rupert. de Vict. Verb. Dei L. II. c. 18.* adeoque vere talia, qualia Bella Barbarorum, de quibus Cap. I. notavimus, cum iis perpetuum Bellum esse. Nec uno in loco, sed in conspectu totius mundi; *Ad agonem produceris, contra Diabolum vitiorum principem dimicabis in arena hujus mundi: Utraque partes, Christi scilicet & Diaboli, infinita populi multitudo Te spectat luctantem & quisnam vincat vide-*

omnem turbam vimia intentione pendentem. Auguſtin. vel quisquis eſt Autor. eod. L. de Cataclyſmo.

III.

Arma indicantur à Paulo ſæpe cit. Eph. VI. 13. & ſeq. *Accipite Armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare State ergo* ſuccincti lumbos veſtros *in veritate, & induti* Loricam Juſtitiæ: *Et* Calceati *pedes in præparatione Evangelii pacis: In omnibus ſumentes* Scutum fidei, *in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et* Galeam ſalutis *aſſumite, &* Gladium Spiritus. *(quod eſt Verbum Dei) Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in Spiritu:* Suntque nihil aliud quam totidem rationes ac modi animum à vi adverſa muniendi eamque propulſandi: Eorumve quinque Defenſiva, ſextum una Offenſivorum genus, & tria priora iterum Arma Communia, tria poſteriora Chriſtianorum propria. (1) *Zona veritatis*, ut fundamentum, quod eſt in nobis comprimat & contineat; *ἵνα συγκρατῇ καὶ συνέχῃ τὸν θεμέλιον τὸν ἐν ἡμῖν.* Chryſ. in h. l. Hom. XXIII. Breviter argumentum Sinceritatis: *Bona fides erit Baltheus lumborum ejus.* Jeſ. XI. 5. Cinctus enim qui eſt rei ſuæ gerendæ intentus eſt, ad aliena non convertitur. (2) *Lorica Juſtitiæ*, Nota imperturbati animi, adeoque Conſtantiæ; Juſtitia enim ſemper eadem, ſicut Lorica invulnerabile pectus præſtat. Chryſ. c. l. *Hom. XXIV.* (3) *Calceati pedes*, in notam alacritatis eoque remedium contra inadvertentiam; Et quidem *ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης in præparatione Evangelii pacis, ut ſint parati ad Evangelium, & ad hoc nitantur pedibus, & ei viam præparent & muniant; aut ſi hoc non ſit, ut ipſi ſint parati ad exitum.* Chryſ. cit. Hom. XXIV. & ex eo Oecumenius in h. l. *Illud Bellum* nimirum *aliud Bellum diſſolvit, nempe quod eſt cum Deo: Si cum Diabolo Bellum gerimus, pacem cum Deo agimus. Chryſ. ibid.* Vid. inprimis *Corn. à Lap. not. in h. l. Hemming. in eund.* Summa eſt, *Vere* h. ſine dolo, *juſte* h. ſine affectu, *Alacriter* h. ſine ceſſatione pugnandum eſſe. Attamen *ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης*, in præpara-

tio-

tione Evangelii pacis; h. non vane, non temere, sed ex præscripto Evangelii & pro pace æterna obtinenda: E quo etiam tanquam armamentario Arma Specialia expedienda *Scutum Fidei* h. fiducia in Christum, qua tanquam Scuto homo Spiritualis tegitur; quæve una sufficit ad delenda tela Satanæ: Quid Satanas enim nocere possit homini fiducia in Servatorem prædito; Et illum quidem tanquam Redemtorem adeoque Caput Ecclesiæ suæ membrorumque ejus: Ideo Galeam Salutis vocat, quam & Galeam spem Salutis nuncupat *1. Thess. V. 8.* Christus nimirum caput nostrum & Salus nostra: Eritque proinde & Galea nobis. *Coloss. III. 19.* Si aliam cassidem recipimus, etiam aliud caput. Eodem retento etiam lætitiam spei Salutis, quam habemus in fide retinemus. *Coccej. in h. l.* Add. *Luth. in eund.* Denique & Offensivorum Armorum genus sequitur, *Gladius Spiritus*, h. Verbum DEI, ut non tantum illatam vim declinemus, sed invasorem simul cum effectu profligemus, Quia enim à DEO procedit, intima penetrat, eoque per illud omnia scindimus & caput Draconis amputamus. *Chrys. in* h. l. Et ut Lutherus, qui præ aliis hoc argumentum egregie pertractavit, eleganter de eo loquitur: Es ist nicht gnug / daß man sich für dem Feinde wohl verwahret habe / und könne fürsehen / wann er uns angreiffet / daß wir nicht geschlagen werden / welches heisset eine Schutz-Krafft / sondern gehöret auch dazu die Wehr-Krafft / damit man dem Feinde nachjage und ihn in die Flucht schlage. Also ist hier nicht gnug / sich wider den Teuffel wehren mit Glauben und Hoffnung als Schild und Helm / sondern man muß auch das Schwerd zücken und wieder nach ihn schlagen und damit nachdrücken / daß er müsse zurück fallen und fliehen / und also den Sieg an ihm behalten. Solch Schwerd ist nun das Wort GOTTES / dann es muß nicht leiblich Stahl und Eisen / sondern ein geistlich Schwerd seyn / damit man den Teuffel schlagen soll. *Comm. in c. I. Ephes. Tom. I. Witteb. Germ. f. 418.*

IV.

Denique nulla in hoc Bello *Spes Conciliationis: Non* enim

ser-

certatur pro pecuniis, non pro gloria, sed certatur ne redigamur in servitutem & captivitatem. Quamobrem inimicitiæ sunt irreconciliabiles. Chryſoſt. *Hom. XXII. in c. I. Eph.* Nec *Commercia Bellica* locum inveniunt, nam Hoſtis extrema tentat, adeoque ratio Commerciorum expirat; ne pericula nimium creſcant. Nullum quoque *Temperamentum* erga victos datur, quia ex malitia Bellum cœpere: *Fine ſecuro* vero terminandum, paceque vere æterna, ſine conventione tamen ad modum terrenorum pactorum Pacis, ſed plena Debellatione Hoſtium, *Noviſſimæ quoque omnium mortis.* 1. Corinth. XV. 26. Adeoque in gravi illo Effato Triumphali deſiturum: *Nunc facta eſt Salus & Virtus & Regnum DEI noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum DEI noſtri die ac nocte: Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni & propter verbum teſtimonii ſui & non dilexerunt animas ſuas usque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Apocal. XII. 10. 11. 12.*

FINIS.



tione Evangelii pacis; h. non vane, no ſed ex præ-
ſcripto Evangelii & pro pace æterna ob quo etiam
tanquam armamentario Arma Specialia *cutum Fidei*
h. fiducia in Chriſtum, qua tanquam Sc iritualis te-
gitur; quæve una ſufficit ad delenda te Quid Sata-
nas enim nocere poſſit homini fiducia n prædito;
Et illum quidem tanquam Redemtorem put Eccle-
ſiæ ſuæ membrorumque ejus: Ideo Gale ocat, quam
& Galeam ſpem Salutis nuncupat *1. Theſſ.* iſtus nimi-
rum caput noſtrum & Salus noſtra: Eri & Galea
nobis. *Coloſſ. III. 19.* Si aliam caſſidem etiam ali-
ud caput. Eodem retento etiam lætiti is, quam
habemus in fide retinemus. *Coccej. in h. l.* *eund.* De-
nique & Offenſivorum Armorum genus *adius Spiri-*
tus, h. Verbum DEI, ut non tantum ill eclinemus,
ſed invaſorem ſimul cum effectu profliget nim à DEO
procedit, intima penetrat, eoque per ill ndimus &
caput Draconis amputamus. *Chryſ. in* h. nerus, qui
præ aliis hoc argumentum egregie pertr anter de
eo loquitur: Es iſt nicht gnug / daß man Feinde wohl
verwahret habe / und könne fürſehen / wann eiffet / daß
wir nicht geſchlagen werden / welches heiſ ß = Krafft /
ſondern gehöret auch dazu die Wehr = Krafft dem Fein-
de nachjage und ihn in die Flucht ſchlage. Al gnug / ſich
wider den Teuffel wehren mit Glauben u als Schild
und Helm / ſondern man muß auch das S und wie-
der nach ihn ſchlagen und damit nachdrück nüſſe zurück
fallen und fliehen / und alſo den Sieg an Solch
Schwerd iſt nun das Wort GOTTES nicht leib-
lich Stahl und Eiſen / ſondern ein geiſtlic eyn / damit
man den Teuffel ſchlagen ſoll. *Comm. in c.* *I. Witteb.*
Germ. f. 418.

IV.

Denique nulla in hoc Bello *Spes Co* Non enim
cer-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742474232/phys_0073
DFG